BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
kat. komp.
35243
Mag. St. Dr. P

THEOLOGIA.
N. 387

V B J C
35243
I

IX. e. 79

Gu
72

GRADUS
AD
ATHEISMUM.

PRIMUM GENUS GRADUUM
PER QUOS
In Voraginem Atheiſticam deſcenditur,
Sunt certæ peccatorum Species.
SECUNDUM, *Hæreſes.*
TERTIUM demum Genus Graduum,
Sunt Opiniones quædam erroneæ.

De ſingulis his generibus,
SEPARATIS TRACTATIBUS
AGITUR.

AUCTORE
R. P. GEORGIO GENGELL
Societatis JESU Theologo.

M. Martini Ollinski

BRUNSBERGÆ,
Typis Collegij S. J. Anno DEI-Hominis
M. DCC. XVII.

Gradibus meritorum, *REVERENDISSIME DOMINE.* Panditur Vobis, Honoris Templum per virtutis adyta, decernuntur Olympia gloriæ, ſolenniſſimo laborum, ſudorumque curſui; ſternitur Appia via decertantibus fortiter pro Cælo, Aris, Patria. Unus Honor ſemper alterius eſt Gradus, Fortunæq; præambulum quoddam, ad maxima, ad ſumma omnia evocantis. Hinc, ex Faſcibus naſcuntur Faſces, permiſcentur Purpuræ Infulis, Trabeæ Laticlaviis, ut contractus in *Unam emeritiſſimam Gentem Czapſciorum*, Dignitatum Senatus videatur. Sereniſſimus aſtrorum Princeps diu radios in ortu colligit, ſæpius luctatur cum nubibus, ut amænam faciem invehat Orbi, diu incrementa admittit lucis, ut meridianos in auge

ſplendores ſpargat: non ſemel Zodiacus integer (Aſtronomicorum Graduum, ampliſſimum intelligo ſpatium) eſt decurrendus, antequam ſolſtitialis quietis meta teneatur. Et *Luna Avita Veſtra* nobiliſſima, exactiſſima æmula Solis, in Sarmatico ſpectatur Cælo, Fraterno ſemper lumine vivit, novit implere Orbem, ingeminare ſplendore diem, novit & augmenta Orthodoxæ Religionis, commodorum Reipublicæ, Palatinatuum, paulatim minui, paulatim creſcere, pleno nitere vultu: hoc eſt incrementorum ſervare periodos. Nec *Tuarum Virtutum* immenſa decora *REVERENDISSIME, EXCELLENTISSIME DOMINE*, abſq; indefeſſo aſcenſu, avidè pridem intuemur, imò in exempla trahimus ſecuturæ ætatis. Primus, præcipuuſq;

 mo-

modeſtiæ Gradus, cum *Paterna Cynthia* latere velle, amare in no-ctis ſidere *Religionis* umbras, in *Materno Leone*; fulgores Mundi expaveſcere. Et texêre *Te* umbræ ſanctiores illæ ſplendidiſſimum alio-qui *Ciſtercii* totius Sidus: claude-bat *Laudatiſſimi & Sacerrimi Or-dinis* Concha, *Abbatum*, *Commiſ-ſariorum Gemmam*; ſublimiſſimæ perfectionis *Montes* complecteban-tur aurum, in *Peplinenſes*, *Mogil-nenſes*, *Pogutkovienſes*, cæteraſque Aras, nec non egenorum ſubſidia, munificâ dextrâ à *Te* erogatum. Inſeruerat ſuis Voluminibus, Aſce-tarum Annalibus, poſterorum me-moriæ, imitationi, Orator Melleus, Divinuſque *Bernardus*, duodecim Humilitatis *Gradus*; *Tua* ſtare ne-ſcia Virtus, decurriſſe omnes no-tata feliciſſimè, exoptâſſe profun-dum,

dum, ut cum ingenioſa rerum parente natura, pretioſa abſconderes. Hactenus, quibus, quantisque Gradibus, in Virtutum, Honorumque Culmen, *Tua, Tuorumq́;* dexteritas eſt eluctata, attigi: jam quoniam & enormis ſuperbia, deteſtanda Cælo, ipſique Orco impietas, ſuos habet gradus, (in quibus excluſo *Numine*, dum neſcit creſcere, ruere incipit) eos liminibus *Tuæ Domûs* ſubſterno. Gemat ſub planta, ſub pleno meritorum *Tuorum Gradu*, facilis deſcenſus averni: nec facilè aſſurrecturus aliquando, tanta gravitate *Abbatiali* preſſus. Equidem nuper, EVERSIONEM ATHEISMI, prælo, oculisque ſubjeceram *Tuis*, præfixoque *Nomine Tuo*, graviorem effeceram; nunc ipſam viam, ad ſcelerum abyſſum, dum allaboro demoliri, in meliorem Divinam ſe-

mitam remeantibus, *Te Ducem* constituo. Singularissima munificentia *Tua* suppeditavit arma ad subruendam improbitatis molem, eadem dum & Gradus deprimit, *Tu*, emeritum, parq; majoribus, imò maximis Infulis efferes *Caput.* Ita ominatur, pollicetur, precatur ex animo,

EXCELLENTISSIMO & REVERENDISSIMO

Nomini Tuo

Devinctissimus

GEORGIUS GENGELL
Societatis JESU.

APPROBATIO

Celſiſſimi, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini, Dñi THEODORI à Potok POTOCKI Epiſcopi Varmienſis & Sambienſis, Sacri Romani Imperii Principis, Supremi Terrarum Pruſſiæ Præſidis,

LOCI ORDINARII.

L*ibellum hunc*, Gradus ad Atheiſmum *intitulatum, ſtudiô ac operâ Rñdi P. Georgii Gengell Societatis JESU emeriti Theologiæ Scholaſticæ Profeſſoris, pro nunc Rectoris Collegij Gedanenſis confectum; à Theologis S. J. reviſum, cùm nihil pietati ac fidei adverſum contineat, quin imò radices impietatis Atheiſticæ ſolidè detegat; Authoritate Noſtrâ Ordinariâ prælo ſubjici mandamus. Dat. in Arce Noſtra Wormditi die 11mâ Martij Anno 1717.*

THEODORUS EPISCOPUS.

FA-

FACULTAS

R. P. Præpositi Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

Cùm Opusculum, quod inscribitur: *Gradus ad Atheismum*, à Patre Georgio Gengell Societatis JESU Theologo conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi factâ ab Admodum Reverendo Patre Nostro MICHAËLE ANGELO TAMBURINO Societatis nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur; si iis ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas, manu meâ firmatas, sigillôque munitas dedi, Cracoviæ 12. Martii, Anno 1715.

RAPHAEL TACZANOWSKI
Societatis JESU.

PRO-

PROLOGUS.

ANnô immediatè præteritô, Volumen, duos complectens libros, cui titulum præſixi: *Eversio Atheiſmi*, prælo ſubjeci; & quia Atheiſmum, impietatis Propugnaculum quoddam, aut Aſylum ſcelerum omnium eſſe, cum plurimis doctiſſimis ſentiebam, ideo quadraginta & ampliùs Argumenta, tanquam arietes aut machinas admovi bellicas; Veteres novem Philoſophos, veluti legiones quaſdam adduxi; dum enim vel unus illorum ſtat contra Atheos, exercitum grandem conflare videtur. Non defuêre & ſapientiſſimorum duodecim Patrum rationes validæ, ita, ut non tantummodò labefactare, infringere errorum omnium Antemurale valeant, verùm etiam deſtruere, everte-

Atheiſmus eſt impietatis propugnaculum.

re,

re, deplanare, pessundare. Hæc pro Existentia Numinis volventi animo, tunc obvenêre præsidia: militanti pro Cælo, arma placuêre sumenda. Quia verò è sensu Divi Damasceni, Libro 1mo de Fide, cap. 3. Atheismus etiam *est irrationabilissimum & malorum omnium pessimum perditionis barathrum*: ideo nunc libet exitiosos, quibus in illud descenditur, demonstrare Gradus. Porro in ipso limine hujus Lucubrationis, prænotanda quædam veniunt.

Nec non perditionis barathrum

Nomine Gradûs quid intelligitur?

1mò, Nomine Gradûs, non intelligo hîc, ex quo inevitabiliter fit descensus in voraginem Atheisticam, seu ad negandam Existentiam DEI: sed innixus Scripturæ Sacræ, ac Sanctorum sensui, præcipuè Chrysostomi, Bernardi, & aliorum, infrà citandorum, nomen Gradûs, sumo pro dispositione tali, quâ habitâ, jam per se loquendo, non omnino difficile sit, fieri Atheum.

Quid item nomine Atheorum?

2dò, Nomine Atheorum, non denotantur hîc à me, Athei impropriè tales, qui scilicet credunt quidem DEum existere, ita tamen vivunt, aguntq; ac si mi-

minimè id crederent, inter illos reponendi, de quibus ait S. Apoſtolus ad Titum 1. v. 16. *Confitentur ſe noſſe DEum, factis autem negant.* Aſt nomine Atheorum, ſignificantur Athei formales, & propriè dicti, qui nempè abſolutè negant eſſe DEum, vel ſaltem poſitivè deliberatè dubitant, an exiſtat DEus? ejuſmodi enim Dubitantios, ad gregem Atheorum formalium pertinere, in confeſſò eſt apud Doctores.

3tiò, Ad deſcenſum in voraginem illam, abſolutè loquendo, ſufficit, aliquos ex enumerandis Gradibus, imò & unum aliquem, præcipuè in ſecundo vel tertio genere recenſendis, conſcendere Gradum, jam enim inde non erit perdifficilè voragine Atheiſtica abſorberi, ut ſolidis evinco rationibus, in quibus proponendis, ſtylum adhibui ſimplicem, etiam ideo, ut lectores, mediocris, ſi qui erunt, literaturæ, faciliùs eas percipiant.

Ut quis prolabatur in Atheiſmū, ſufficit unum conſcendiſſe Gradum.

4tò, Si quiſpiam è numero Novatorum, vel è ſchola Cartheſii, hæc legeris: crede, non conviciandi animô, conſcripta eſſe, verùm purè amore veritatis manifeſtandæ, & ab ejus tramite devi-

Auctoris propoſitum & deſiderium.

devios revocandi. *Ecce coram DEO quia non mentior.* Utor verbis Sancti Pauli ad Galatas 1. Et Lactantii de Opificio DEi, cap. 20. *Satisq; me vixisse arbitrabor, & officium hominis implêsse, si labor meus, aliquos homines* (quin & unicum) *ab erroribus liberatos, ad iter cæleste direxerit.*

ſtò, Quiſquis demum es, qui te in aliquo Gradu ex enumerandis conſtitutum cernes, per ſalutem animæ tuæ pretioſo Chriſti Sangvine redemptæ, te obteſtor, perpendè ſeriò tantum ſalutis tuæ periculum, & pedem quàm ocyus à Gradu illo retrahe, ut poſt vitam caducam, in atriis Domini, æternùm conſiſtas.

TRA-

TRACTATUS PRIMUS.

An peccata, &, quænam eorum ſpecies, ſunt præcipuè, Gradus, ad Atheiſmum?

CAPUT I.

ASſero imò. *Peccata graviora, ſi frequenter, & quaſi ex habitu, committantur, ſunt Gradus, ſeu diſponunt, ad Atheiſmum.*

Scelera ſæpè patrari ſolita, ſunt ad Atheiſmum Gradus,

PRobatur imò Auctoritate. Prov: 18, dicitur: *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* videlicet, contemnit (ut præter alios, explicat doctiſſimus Cornelius à Lapide, in ſuis eruditiſſimis Commentariis ſuper ,Proverbia) omnia monita, & monitores: , omnia jura, Divina & humana: omnes ,Cælites, ipſumque DEUM: cujus, tan-

ut docet Scriptura Sacra.

, dem, Providentiam, imò Essentiam & Ex-
, istentiam, negat. Sanctus, item, Paulus, 1mâ ad Timotheum 1. v. 19. dicit: *Conscientiam bonam* (id est, vitam sanctam) *quidam repellentes* (seu, postquam repulerunt) (ut est in Græco textu) *circa fidem naufragaverunt*, id est, fidei naufragium & jacturam fecerunt, facti Apostatæ, Schismatici, Hæretici, quin & Athei. Explicationi huic adstipulatur: Divus Chrysostomus, citandus in Probatione 2da.

Nec non Patres.

S. Clemens Romanus, libro 1mo Recognitionum, ait: *Domus, fumô peccatorum, repleta, prohibet inhabitantes, aspectu Conditoris.* Et alius Clemens; nempe Alexandrinus, libro 3tio Stromatum, cap: 4to, inquit: *Ut DEUS ignoretur, efficit vitæ institutum.*

Divus Hilarius in Psalmum 52. habet hæc: *Quis Mundum contuens, DEum esse non sentiat? sed, fit frequenter, ut nos, cùm veri necessitas, ad Confessionem DEI, cogat, oblectatio tamen vitiorum, DEum, nobis, non esse, persuadeat.*

Plotinus item.

Platonicæ Philosophiæ facilè Princeps, Plotinus Enneade 6ta, libro 9. cap: 7timo, scripsit: *Meritò DEum, quem fugiunt* (impii) *apprehendere nequeunt: &, qui, se ipsos, jam perdiderunt, alium indagare non valent.*

Pro-

Probatur 2dò. Quia, taliter peccans, ut ſe, metu pœnarum, à DEo infligendarum, liberum, in ſua apprehenſione, reddat, ac liberiùs etiam, in poſterum, laxare habenas, ad quæcunque ſcelera patranda, conſcientiæque ſuæ clamantis, obſtruere, aliquomodo, os poſſit, dubitare primò aſſolet, de Exiſtentia DEI; poſtea, etiam abſolutè, eam negare: Scelerum enim voragines, ſeu abyſſi, ſunt ſibi, quodammodo, ſubordinatæ, ut gradatim ex una, in aliam, & aliam; ac tandem, ruatur in abyſſum Atheiſticam, quam, abyſſus peccatorum, invocat, & quaſi invitat, ac trahit: ut conſtat, tum teſtimoniô ipſorummet aliquot Atheiſtarum, qui deinde, ſpeciali DEI beneficiô, ex illa abyſſo, extracti ſunt; Tum, ex Sancto Chryſoſtomo, qui, in locum ſuprà citatum Divi Pauli ait: *Malè viventes, ne futurorum metu, & exſpectatione, crucientur; perſuadere ſibi, omni ſtudio, curant, falſa eſſe omnia, quæ, noſtra Religio, continet: nempe de peccatis, Reſurrectione, judicio futuro, & ſimilibus*; videlicet, immortalitate animæ: Providentia Divina; demum & de Exiſtentia DEI. Vide & Sanctum Bernardum infrà cap: 2do. *Ratio idem comprobat.*

Confirmatur. Homines, ſæpè, graviter peccando, ſæpè etiam deſerunt DEum, reprobantque illuſtrationes Divinas,

& auxilia retrahentia à peccando: ideoque justè fit, ut eos etiam DEus pariter deserat, subtrahatque gratias efficaces; & sic, semper ruant in peccata graviora, quibus merentur, ut in iis tandem compleatur illud S. Pauli ad Romanos 1. *Tradidit illos, DEus, in reprobum sensum;* permittendo, ut, tandem, etiam improbissimum omnium, illum habeant sensum: *Non est DEus.* Licèt verò quæcunque graviora peccata, frequenter patrata, disponant ad Atheismum, nihilominus, sunt *certæ species peccatorum*, quæ præcipuè, id præstant, ut ex dicendis constabit.

CAPUT II.

Luxuria effrenis est Gradus ad Atheismũ. ut multifaria Auctoritas asserit, probat ratio.

ASsero 2dò. *Effrenata libido, est Gradus ad Atheismum.*

VEritatem Asserti comprobant sat dilucidè Patres.

Mellifluus Doctor S. Bernardus in Tractatu de 12. Gradibus Humilitatis & Superbiæ, prope finem: *Postquam terribili DEi judiciô, prima flagitia, impunitas sequitur, voluptas experta libenter repetitur, repetita blanditur, concupiscentiâ reviviscente sopitur ratio, ligat consvetudo: trahitur miser in profundum malorum, traditur captivus tyrannidi vitiorum:*

rum: ut carnalium ita voragine desideriorum absorptus, suæ rationis, divinique timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo: Non est DEus.

Divus Gregorius Magnus Lib. 4to Dialogorum, cap. 1mo. *Carnales quique, quia illa invisibilia* (scilicet, esse cælestem Patriam, Angelos, addo, DEum:) *scire non valent per experimentum, dubitant* (imò & negant aliqui) *utrúmne sit, quod corporalibus oculis non vident.*

Clemens lib. 3tio Stromatum, cap. 4to. *Quomodo fieri potest, ut quis victus à voluptatibus, DEi habeat cognitionem?* Videturque id ipsum asserere Scriptura Sacra, Psalmo 57. dicitur: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.*

Sanctus Augustinus in hunc locum ait: *Cùm in aliquem supercecidit ignis concupiscentiæ, videri ab eo nequit sol intelligentiæ.* In libro Sapientiæ, cap. 2. Luxuriosi de se loqvuntur. *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra* &c. Quid sequitur? *excæcavit illos malitia eorum: & nescierunt Sacramenta DEi,* (id est, neglexerunt omnia veræ Fidei mysteria) *neque mercedem speraverunt justitiæ* (id est, juxta explicationem Interpretum: negaverunt pænas malorum, & præmia bonorum æternorum) *nec judi-*

caverunt honorem animarum sanctarum. Osee cap. 5to: *Non dabunt cogitationes, ut revertantur ad DEum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum est.*

Accedit imò. Quòd libido effrenis, lumen rectæ rationis, saltim magna ex parte extinguit, hominemque ita excæcat, ut ineptus reddatur ad contemplationem Divinorum. Sicut enim, ex igne fumus egreditur, oculos excæcans: ita ex libidine exeunt fæditates, rationem excæcantes. Unde Sanctus Paulus 1 ad Corinth: 2. ait: *Animalis homo, non percipit ea, quæ sunt spiritûs.* Et Divus Gregorius libro 31. Moralium, cap. 131, nec non Sanctus Thomas 2. 2. q. 153. ar. 5. inter octo filias luxuriæ, rectè ponunt, cæcitatem mentis, inconsiderationem, odium DEi; ea est autem natura odii, ut etiam aperta, non videat, vel visa itidem prætersiliat, quasi non visâ. Aristoteles item dicit 7. Ethic: *Venus furatur intellectum sapientis.* & lib. 2. Rhet: cap. 24: Venerem, amentiæ præfectam, appellat. Quare etiam Venus, dicta est à *ve* quæ est particula privativa, significans absq; & *νοῦς*, id est *mens*, quasi absque mente, id est, amens. Porro obcæcationem mentis, depravationem intellectûs, sublationem rectæ rationis, odium DEi, præsertim simul sum-

Luxuriæ quotnam filiæ?

Venus unde dicta?

ſumpta, eſſe proximas diſpoſitiones ad Atheiſmum, quis diffiteri audeat?

Accedit 2dò. Quia *Hæreſis*, eſt Gradus ad Atheiſmum; ipſamet verò Hæreſis paſſim in illis literatis, qui deſerta fide Orthodoxa, ad heterodoxos tranſeunt, oritur, ſi non inſimul, tunc ſaltem disjunctivè, vel ex nimia arrogantia: ut oſtendetur Capite 3tio, vel ex libidine: ut conſtat longa inductione. Sic inter alios, Nicolaus Diaconus, ut ad uxorem rediret, à fide receſſit. Marcion quia Virginem violavit, ad impoſtoris Cerdonis ſectam, confugit, & triplex genus baptiſmi excogitavit. Petrus Vermilius, dictus, Martyr, omnium Hæreticorum noſtri temporis (inquit Florimundus) ſubtiliſſimus atque ingenioſiſſimus, ut cum moniali quadam, libidinosè adamata, ſecurè viveret, cum ea ad hæreticorum caſtra tranſiit, ex Religioſo, apoſtata, & Calviniſmi acerrimus propugnator effectus, traxitque ſecum Bernardinum Ochinum, qui itidem cum puella juvencula fugit ad Calvinum, apoſtata. De quo Cardinalis Hoſius in Cenſura de adoranda Trinitate, ſcribit: „[Vix unquam ſana doctrina, quam Ec„cleſia Catholica profitetur, hoſtem ſibi „magis habuit infeſtum, quàm Ochinum.] Franciſcus Clovet, inter ſuos Religioſos; di-

Hæreſes unde oriuntur?

dictus, Pater Basilius Rotomagensis, Fidei ac Religionis sacræ, in qua pluribus annis, non absque insignis doctrinæ fama vixerat, desertor, postea morti vicinus, seriò resipiscens, in suo testamento, coram Notario publico, Delp..s in Hollandia facto, subscriptoque manu sua propria, tertia Octobris, Anno 1648, inter alia habet hæc: [Plurimos apostatas vi-
,di, tam Ecclesiastici, quàm monastici
,Ordinis, & cum eis familiariter egi, nul-
,lum tamen reperi hactenus, qui non ob
,sola carnalia desideria securiùs sectanda,
,habitum & fidem deseruerit: nec ipse,
,alia intentione ad Hæreticorum castra
,transii, nisi, quòd speravi, me ibi impu-
,nè, meis effrenatis cupiditatibus indul-
,gere posse.] Omnia hujus testamenti puncta scitu digna, habes AMICE LECTOR, ad calcem Libri mei nuper, Pragæ impressi, cui titulus: *Admiranda Zvinglii & Calvini.*

Nimis excessiva præsumptio, præcipuè de scientia, quòd disponat ad Atheismum,

CAPUT III.

ASsero 3tiò. *Superbia ingens, præsertim, quâ quis ita nimiùm suæ scientiæ tribuit, ut privatum suum judicium, Doctissimorum quorumvis sensui, levissima de causa obsti-*

obſtinatè præponat, cenſeatq́ nihil eſſe, quod, intellectu ſuo, perfectè comprehendere nequeat, talis inquam ſuperbia, diſponit ad Atheiſmum. *probatur multipliciter.*

PRobatur imò Auctoritate. Eccleſiaſtici 18: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia. Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à DEo.* Divus Chryſoſtomus Homilia 15. in Joannem, & in Pſal. 115, legit: *Initium ſuperbiæ eſt neſcire DEum,* & addit: *Superbi DEum non cognoſcunt, neque ſe ipſos quid ſint, ſciunt.*

S. Juſtinus Religionis Chriſtianæ Vindex, in ſua ad Antoninum Pium, Apologia. *Dæmones,* (inquit) *eos, qui ad rerum divinarum contemplationem ſe erigunt, niſi modeſtè ſentiant, & puram liberamq́ à perturbationibus vitam degant, elidentes in impietatem* (Atheiſmum) *præcipitant.*

Accedit. Communiter docetur à Patribus, quòd Deus, eos, qui intumeſcunt ex benefactis ſuis, permittat in abominandam prolabi luxuriam. Hinc S. Damaſcenus Lib. 2do. de Fide, cap. 9. *Qui eſt elatus in virtutibus & rectè factis ſuis, hunc ſinit DEus in adulterium prolabi.* Divus item Gregorius Magnus lib. 11. Moralis expoſitionis, in 12. Caput Job. cap 8. *Qui*

benè regere ſua membra videbantur, propter elationis culpam, caſtitatis in eis cingulum deſtruit. Ergo pariter cenſendum eſt, eos, qui nimiùm inflati ſunt in ſua ſcientia, permittente DEo, inſipientiſſimè labi, ut dicant illud inſipientis: Non eſt DEus: vel Fortè non eſt.

Probatur 2dò, Ratione multiplici. *1mò*. Quia ejuſmodi arrogantibus nihil demonſtrari, vel perſvaderi poteſt, quod eorum opinioni & arrogantiæ, eſt contrarium: ut cum pluribus ſapienter annotavit Cornelius à Lapide in verſum 7. Capitis 5ti S. Matthæi: nullisq; rationibus quantumvis exquiſitis ac ſolidis, taliter conſtituti, acquieſcere ſolent. Unde facilè fieri poteſt, ut non tantummodò Argumentum pro Exiſtentia DEi, in conſenſu totius orbis fundatum, contemnant: verùm, nec alia Argumenta, quantumvis judiciô omnium rectè ſentientium, evidentia, pro Exiſtentia DEi aſſeribilia, reputent eſſe convictiva, hinc autem deſcenditur adfluctuandum: An ſit DEus.

2dò quia ejuſmodi elati, ſunt ad quodlibet opinandum, nimiùm audaces, leviſſimoque ex fundamento, tenaciter adhærent opinionibus talibus, quæ novitatem ſapiunt, ac è diametro opponuntur principiis communi Doctorum conſenſu appro-

probatis: quas novitates suas, aut veriùs somnia, propriæque deliramenta Phantasiæ, dum cernunt solidè oppugnari, ne tamen ab iis recedant, necessitas consequentiæ impellit eosdem quandoq; ad plura inconvenientia, concedenda: assvetus verò inconvenientiis admittendis, in errores, tandem labitur, absurdissimos.

3tiò. Quia Hæresis est Gradus ad Atheismum, ut ostendetur infrà, in Tractatu 2do. cap: 1. jam autem, superbia, est mater hæresum, ut constat; Tum ex Sanctis Patribus. Augustinus libro de Pastoribus, cap: 8vo, ait: *Diversis locis, sunt diversæ hæreses, sed una mater superbia, omnes genuit: sicut una Mater nostra Catholica, omnes Christianos fideles, toto Orbe diffusos.* Epiphanius Hæresi 75. *Omnem hæresim, aut vanæ gloriolæ, aut elationis fastuosæ, gratia effecit.* Bernardus sermone 65, super Cantica; *Omnibus, una intentio, hæreticis semper fuit, captare gloriam, de singularitate scientiæ.* Tum, ex ipsamet hæretici Definitione, quam dedit S. Hypponensis Præsul, lib: de Utilitate credendi, cap: 1. habes eam infrà, ferè ad initium Tractatûs 2di. Tum quia ipsemet Calvinus, qui, benè conscius, utpote hæresiarcha, quæ sit hæreticorum origo, ita in Libro de Scandalis, folio 12, scribit:

Superbia, mater hæresum.

Verè

,[Verè Auguſtinus, Superbiam nominat ,hæreſeon omnium matrem: nullus enim ,unquam extitit erroris Magiſter, quem ,non prava ambitio, in ſuum præcipiti- ,um extulerit-- Quotquot hac noſtra æ- ,tate, à pura Evangelii doctrina prolapſi, ,falſorum dogmatum cæperunt eſſe Au- ,ctores, reperiemus omnes, ſuperbiæ mor- ,bô correptos.] Hucuſque Calvinus.

Eminentiſſimus etiam pietate, zelô, ac eruditione, Cardinalis Hoſius, longè antè de vero prædixit, Duditium, Epiſcopum Quinqueccleſienſem, qui, Legatum Cleri Ungarici, in Concilio Tridentino, agebat; plurimisque Patribus, ob eloquentiam, venerationi & admirationi erat, fore Hæreticum: ita factum: fugit ille apoſtata, ad Calvini caſtra. Rogatus Hoſius, unde hoc prævidiſſet? Reſpondit, ex ſola hominis ſuperbia: ſui, enim, judicii tenacem, præſagiebat animus, in hanc foſſam ruiturum. Ita refert Cornelius à Lapide, in Procemio & encomio ſacræ Scripturæ, in Pentateuchon.

Atheorum rationes fundantur in nimia præſumptione de ſua ſcientiæ.

Confirmatur Aſſertio. Quia, ex ejuſmodi arrogantia, profluunt Atheiſtarum præcipua Argumenta; ex eo, enim, Athei prætendunt, non debere admitti Exiſtentiam DEI; vel ſaltem, de ea dubitant, quòd, DEI Naturam comprehendere non vale-

valeant, neque, qua ratione, cum DEI Optimi, Sapientissimi, Potentissimi, Providentia, consistere queat, tot homines, sine vera ejus cognitione, esse, ac damnari: prosperari malos, affligi bonos: totque mala, fieri in orbe, &c. Hinc dictum illius impii:

Marmoreo Licinus tumulò tegitur: Cato parvô:
Pompejus nullo: Credimus esse Deos?

Cartesius item, in Præfatione Opusculi, cui titulus: Meditationes de prima Philosophia: hoc in passu, à verò, non deflexit, dum ait: [Generaliter dicam, „ea omnia, quæ vulgô jactantur ab Athe„is, ad Existentiam DEi impugnandam, „semper ex eo pendere, quòd, vel huma„ni affectus, DEo affingantur; vel, men„tibus nostris, tanta vis & sapientia arro„getur, ut, quidnam DEus facere possit, „ac debeat, determinare ac comprehen„dere conemur.] Verùm allatæ impiorum argumentationes, magnam redolent insipientiam, ut sat fusè demonstravi in Volumine meo, cui præfixi Titulum: *Eversio Atheismi*: in 1mo Tractatu, libri 1mi: Ubi evidenter deduxi, à nobis, nullius, etiam creaturæ, haberi perfectam, scientiam comprehensivam. Nunc insuper, ad comprimendam arrogantiam, demon-

stran-

ſtrandamque inſcitiam eorum, qui ſentiunt, nihil eſſe, quod, intellectu ſuo, non comprehendant, annotanda quædam duxi.

Virorum graviſſimorum judicium de humana ſcientia.

Nota 1mo. Quidnam de humana ſcientia graviſſimi Viri ſentiant. Sapientiſſimus Rex Salomon, Eccleſiaſtæ 7mo, ait: *Cuncta tentavi in ſapientia, dixi: ſapiens efficiar: & ipſa, longiùs receſſit à me, multò magis, quàm erat: & alta profunditas, quis inveniet eam?* & cap. 3tio. *Mundum tradidit DEus diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt DEus, à principio, usq; ad finem.* Id eſt, juxta multorum Interpretum explicationem: Mundus hic, adeò perfectus creatus eſt, à ſui principio, ſcilicet à primo creationis die, uſque ad finem: nempe uſq; ad ſextum & ultimum diem: imò à prima, id eſt, à viliſſima creatura, uſq; ad ultimam, id eſt nobiliſſimam, ut Mundi pulchritudinem, harmoniam, connexionem, perfectionem, imò minimam cujusque creaturæ naturam, homo plenè perſpicere, ac penetrare nequeat.

Doctor Angelicus S. Thomas Opuſc. 6to in Expoſ. Symboli. *Cognitio* (inquit) *noſtra, eſt adeo debilis, quòd, nullus Philoſophus potuit unquam, perſectè inveſtigare naturam unius muſcæ.* Unde meritò Divus Baſilius, doctrinâ, eloquentiâ, ſancti-

tate,

tate, Magnus, scribens ad Eunomium Hæresiarcham, qui blasphemo ore dixerat:
, DEus de sua ipsius Essentia, nihilo plùs
, intelligit, quàm ego. Epistola 168. ait: *Dicat formicarum nobis naturam, qui eorum, quæ, in natura sunt, scientiam, cum fastu, se prædicat assecutum? atq; ita demum, de Potentia illa, omnem intellectum superante, disputet. Si verò scientiâ, minutissimæ formicæ, nondum es assecutus naturam* (quod ipsum S. Doctor in eadem Epistola multifariè probat) *quomodo incomprehensibilem DEi Potentiam, imaginatione tua, comprehensam esse gloriaris?*

Doctissimus Philo ad initium Libri de Somniis. [Semper plura, quàm discun-
, tur, supersunt: ut, etiam is, qui, se putat
, attigisse finem scientiæ, semiperfectus
, habeatur sub alio judice: quodsi, sube-
, undum sit ipsius veritatis judicium, ad-
, huc circa principia, hærere videbitur.]

Eruditissimus Cornelius à Lapide in primum Caput Ecclesiastæ, v. 18. [Docto-
, rum, licèt magna rerum cognitio, ta-
, men, non tam est plena scientia, quàm
, docta ignorantia: Doctores enim, quò
, magis procedendo, investigant rerum
, notitiam, eò magis, se deprehendunt, do-
, ctè ignorantes, vel ignoranter doctos:

quia,

,quia, vix ullas rerum naturas, clarè per-
,ſpicere poſſunt, ſed tantùm eorum acci-
,dentia, quæ ſenſibus patent.] Idem in
Caput 7. Eccleſiaſtæ, v. 25. [Studioſi The-
,ologiæ, initio, ut principia ejus intelli-
,gunt, videntur ſibi multa ſcire, & valde
,eſſe ſapientes; at ubi pergunt, fiuntque
,Profeſſores, vident ubiq; difficultates, ac
,certi ſunt, ſe plura ignorare, quàm ſcire.]
Comprobat idipſum, Tum vulgare illud
,dictum: [Logici omnia ſciunt, Phyſici
,parum, Metaphyſici nihil] Tum Me-
nedemus apud Plutarchum de profectu;
,[Qui Athenas (*inquit*) ventitant, prin-
,cipiò videntur ſibi ſapientes: at, cùm,
,orbem ſcientiarum, decurrerunt, omnia-
,que conſummârunt, dubitare quidem de
,multis poſſunt, parum autem, aut nihil,
,ſe ſcire autumant.] Nimirum, ingenii
lux magna, (ut notat Juvencius cum plu-
ribus) vaſtum quendam, excelſæ menti
oſtendit, veluti Scientiæ campum, cujus
immenſitatem, nulli definiunt termini:
anguſta verò mens, quia longiùs, aciem
non protendit, exiguum, quod præ ocu-
lis habet, ſpatium, ſe percurriſſe facilè
arbitratur. Hinc etiam ſolidè demiſſè ſen-
tiunt de ſe, juxta illud Lipſii: [Sicut ſege-
,tes vacuæ, in altum attolluntur, gravidæ
,deprimuntur; ita quò quis ſapientior,
eò

, eò humilior:] nec præcipites sunt, in respondendo ad quæsita difficiliora: è contra, scioli, altum sapiunt, & ad pauca respicientes, de facili enuntiant: ut dicit Aristoteles lib: 1mo de Gener. tex: 7.

Nota 2dò. S. Irenæus lib: 2. cap: 47. multa enumerat eorum, quæ conteruntur à nobis, videntur, sunt nobiscum, fugiunt tamen nostram scientiam: & sic fugit nostram scientiam, teste eodem Sancto, quæ sit causa ascensionis Nili, quæ accessûs & recessûs Oceani, &c. His addo: *Fugit nostram scientiam, qualiter* (loquor verbis S. Justini Philosophi & Martyris, in Apologia ad Antoninum Pium Imperatorem) *fiant, ex quadam parva humani seminis, gutta, ossa, nervi & carnes, depictæ eâ specie & figurâ, quam videmus -- & si quis vobis diceret, monstrato humano semine, pictaq; imagine ex hac tali re, hominem posse fieri, num crederetis, antequam aspectus fidem faceret? incredibile id videretur.* Fugit nostram scientiam oculi operatio, quæ, tam arcana est, ut nullus mortalium, eam, hucusque perfectè fuerit assecutus; estque id evidens, inter alia, etiam ex eo; quia nescitur plenè hucusque, in quanam parte oculi, fiat visio? an in nervis opticis, seu visoriis, idque in illo puncto con-

Quanam in particulari fugiunt nostrā scientiam?

greſſûs, quo ſecantur & conjunguntur; ut vult cum multis Albertus Magnus. An in humore criſtallino: ut cum Ariſtotele, Galeno, ſentiunt non pauci. An in tunica reticulari: ut cenſent plures cum Agvillonio, Cabæo. Recentiores quidam, in tunica, dicta, Choroides, quæ, à pia matre ad oculum deſcendit, & interiores humores continet, viſionem fieri opinantur. Alii in Retina, ſeu Reticulari, & Choroide ſimul. Item, *Cùm non poſſit* (ut ait S. Auguſtinus lib. 10mo de Trinitate, cap. 1mo) *Anima, ſecum introrſum tanquam in Regionem incorporeæ naturæ, ipſa corpora inferre, imagines eorum* (nempe, ſpecies impreſſas) *convolvit & rapit.* Aſt qualiter id fiat, quomodo item ſpecierum fiat in nobis excitatio? quis gloriari poteſt, ſe aſſecutum? Magnetis operatio, tractiva ferri, unde nam proveniat, excedit ſphæram ſcientiæ noſtræ. Carteſiani præſertim, cauſam tractionis in magnete, refundunt in particulas ſtriatas, ab uno terræ polo ad alium meantes. Alii in particulas ramoſas, ut ex una parte ingredi poſſint, non ex alia. Quidam in aciculas magneticas, paſſim per àërem vagantes, quæ habent à natura, ut ad ſe invicem accedant: vel in effluvia corpuſculorum à magnete. Alii vim ejuſmodi tracti-

tractivam dicunt provenire; vel à terra, quæ magnus sit magnes, licèt non ejusdem rationis omnino cum magnete communi: vel à qualitate occulta, aut veriùs innominata, promanante à substantiali forma magnetis; alii à sympathia, ac speciali corporum trahentium, & tractorum cognatione. P. Cabæus docet ferrum potiùs moveri ad magnetem, ut ad suum bonum naturale, ex se, vi naturali, sibi insita, non autem à magnete trahi. Unde acui ferreæ, magnetis attritu extersæ, ut ad Septemtrionem se obvertat, & ubi hìc inde conquievit, Polum arcticum monstret, quis novit? Multi cum Kirchero, Nierembergio, docent id fieri ex eo, quòd montes & rupes quædam magneticæ ad Austrum & Septemtrionem positæ, qualitatem attractivam per omnes orbis partes diffundant, quâ, acus illa attingitur, excitatur, eòq; appropinquat. Communiùs asseritur, id præstari à Cæli partibus, utriq; polo vicinis, vel à stella polari, per aliquam attractivam qualitatem, ob occultam naturæ consensionem; ad eum modum, quo sol herbas quasdam ad se trahit: vel id provenire ab aliqua qualitate propria & insita ipsi magneti. Sed hæc omnia incerta sunt. Certum est apud omnes, Circulum superiorem rotæ,

vel orbis cujuſcunque, *v. g.* vitrei, circulariter moti, velociùs moveri circulo inferiore, ſeu viciniore ejuſdem rotæ, vel orbis centro: quia in eodem ſpatio temporis, circulus ſuperior percurrit majus ſpatium, quàm minor; & tamen hucuſq; ignoratur, qua ratione id fiat. Reſpondent quidem non pauci, in motu circulari, lineas rectas à centro ad circumferentiam, ſemper neceſſariò diſrumpi: aliqui docent, ſolùm eas inflecti: alii, aliter. Ariaga ingenuè fatetur cum pluribus Philoſophis acutiſſimis, ſe nunquam hanc difficultatem vidiſſe ſolutam, neq; illam ſolvere, præſumere. Demum, prætermiſſis innumeris, fatentur omnes Claſſici Philoſophi, à ſe non comprehendi ſcientificè naturam Continui, tam permanentis: puta: grani papaveris, paleæ, &c: quàm ſucceſſivi: ut, horæ, quadrantis, motûs, &c: ex qualibuſnam partibus componatur. Ex his dilucidè conſtat, quàm imperfecta ſit Doctiſſimorum etiam ſcientia de quacunq; re creata, cujus natura tametſi perfectionis eſt limitatæ, perfectè tamen à nobis comprehendi nequit.

Exilitas humanæ ſcientiæ, cur tam fusè expoſita?

Hìc, & in Volumine meo ſuprà citato, aliquantò longiùs, de imperfectione noſtræ ſcientiæ expoſui veritatem: hæc enim ſeriò inculcanda eſt, tam iis, qui ſentiunt

tiunt nihil esse, quod intellectu suo, non comprehendant: ut discant non altum sapere, suamq; non ignorent ignorantiam: quàm illis, qui insipientissime, ex eo fluctuare incipiunt de Existentia DEi, quòd Ejus Naturam comprehendere nequeant, nec penetrare valeant fines, propter quos, hæc vel illa facta sint, vel permittantur à DEo, qui in omni genere perfectionis est illimitatus, infinitus, & incomprehensibilis, locô, tempore, cogitatu, amore: cujus item incomprehensibilia sunt judicia, & investigabiles viæ Ejus.

CAPUT IV.

ASsero 4tò. *Machiavellismus est saltem Gradus proximus ad Atheismum.*

PRæmitto. Machiavellismus, à suo Auctore aut veriùs strenuo propugnatore, Nicolao Machiavello. Florentinæ Reipub: (necdum enim Medicæi Principes Florentiam suæ potestati subjecerant) Secretario, sic dictus, consistit in eo (ut colligitur ex Vasquez in 1. D. Thomæ q. 2. ar. 3. disp: 20. Lessio, lib: 1. de Provid: cap. 1. & aliis) quòd earum rerum tantummodo, procuratio habeatur saltem principaliter, quæ ad statum politicum spe-

Machiavellismus in quo consistit?

ſpectant, id eſt, quæ ad externam Reipublicæ, aut domeſticæ familiæ, gubernationem, & ad continendos populos in obedientia, diſciplinaq; civili, atque ad Statum ſuum privatum retinendum augendumve, arbitriô humano expedire judicantur: ſolumque eatenus æſtimatur uſurpaturq; Religio, quatenus ad fines hos, conducibilis videtur. Porro ex deſcriptione data, patet, Machiavelliſmum eſſe graviſſimum peccatum, imò aggregatum multorum ſcelerum: continetur enim in illo, falſa ſimulatio pietatis, poſtpoſitio rerum divinarum: Religionis pro varietate, circumſtantiarum, mutatio: jusjurandi violatio: innocentum oppreſſio: aliorumque quorumcunq; ſcelerum patratio, ſi, & quando, hæc conducibilia videntur ad conſervandum, vel promovendum Statum politicum. Hoc præmiſſo.

Machiavelliſmus eſt Gradus ad Atheiſmum: imò in eo fundatur.

Probatur Aſſertio. Quia Machiavelliſta (ut conſtat ex dictis) aut nihili, aut parvi pendit omnem Religionem, ſecundùm ſe ſpectatam, & quatenus refertur ad colendum DEum, paratusq; eam pro varietate circumſtantiarum, ratione lucri temporalis, mutare, tranſeundo ab una, ad aliam, *v. g.* à Catholiciſmo ad Lutheraniſmum, ab hoc ad Calviniſmum, Ariariſmum, Turciſmum, &c: ejuſmodi ho-

homuncionem quis ſaltem proximè diſpoſitum eſſe non cenſeat ut tranſeat ad inſipientes Atheos? Dixi: *Machiavelliſmus, eſt ſaltem Gradus proximus ad Atheiſmum*. Graves enim Theologi, ut Vaſquez, Leſſius, locis ſupra citatis, Rait naudus in Theologia naturali, Diſt: 5.- Carolus de Grobendoncque in Volumine ſuo, de Ortu & progreſſu ſpiritus politici, & pleriq; alii, Machiavellum cum toto ſuo grege reducunt ad Atheiſmum: nec immeritò. Illa enim falſa ſimulatio pietatis, immutatio Religionis &c. ex Atheiſmo promanâſſe videtur: quare Sapientiſſimus Sfortia Pallavicinus, Cardinalis in Apparatu ad Hiſtoriam Concilii Tridentini, cap. 3. ait: [Quis non animad-,,vertat, has larvas eſſe vel propemodum ,,impietatis, humana commoda, externo ,,Divino cultui anteferentis vel Atheiſmi, ,,qui nihil de ſuperis credit, ſed varias con-,,flat ſpecies mendaces, quibus, vultum ob-,,tegat huic nihilo, nimis odioſò naturæ ,,ſenſui, hominumque conſenſioni?]

Ex eodem etiam impuriſſimo fonte impii Machiavelli ejuſq; ſequacium Pſeudo-politicorum, execranda profluxerunt principia hæc: [Omnibus amicus, ne-,,mini fidus eſto. Religionem extrinſe-,,cus colito, ſed nullam habeto. Conſci- *Machiavelliſtarum impia principia.*

,entiam non attendito: nec famam cura-,to. Nisi optimus ac præstantissimus esse ,possis, præstat, ut sis ad flagitia poten-,tissimus. Virtutes habeto in ore: nihili ,tamen faciendæ, ne Religio quidem, cùm ,lucri faciendi occasio, ditionisvè augen-,dæ, datur. Justitiam plus, danti confer-,to. Proprium interesse semper, publi-,cum raró quærito. De æternitate non ,sis sollicitus &c.] Hinc Machiavellus non tantùm à Viris Doctissimis, nominatur, Dæmonis administer, Pseudopoliticorum Patriarcha, Vitiorum Doctor, sed planè Atheus, ejusmodique Pseudopolitici, Atheistæ. Nota. Ecclesia sub anathemate legere vetuit libros impii Machiavelli, utpote continentes planè Diabolicam doctrinam.

CAPUT V.

Dicteria quædam ad Atheismum dispositiva.

ASsero 5tò. *Gravis impatientia, adversitatum intolerans, quæ passim deliberatè in illa dicta erumpat: Nisi fortè DEus non esset, si meæ innocentiæ, in hac calamitate non succurreret. Si meæ injuriæ vindicem non ageret. Si hosti meo sceleratissimo faveret, & similia. Consvetudo item asserendi, dicta à se*

tam,

tam esse certa & vera, quàm certum est existere DEum. Hæc inquam disponunt, seu sunt Gradus ad Atheismum.

RAtio partis 1mæ est. Quia, cùm DEus ob fines suos altissimos ac justissimos, sæpè in hoc sæculo, multorum non plectat scelera, permittatq; innocentes deprimi, sceleratos elevari, assveto dicere: Nisi forsan DEus non esset. &c: cernensque votis suis contrarium passim evenisse, facilè suborietur de Existentia DEI dubium, cui tandem succumbat.

Huic veritati comprobandæ suffragatur, tum S. Basilius, sermone *Quòd DEus non sit Auctor malorum*, ferè ab initio, inquiens: *Si quid calamitosum acciderit, instantem in rebus adversis dolorem non ferentes, mox secum perplexi dubitant: an sit DEus: an singula videat: utrum cujusq; meritis respondeat: desuper deinde ubi se ipsos viderint in iis, quæ nolunt, diu detentos, pravum illud dogma inter se confirmant, & in suis cordibus ita decernunt: non est DEus.* Tum exemplum Diagoræ, qui cùm esset prius cultui Deorum addictissimus, verùm, dum injuriâ à quodam affectus, qui pejeraverat, & nihil tamen propterea passus, quin ei cuncta è

voto fluere videbantur, eò deductus est, ut negaret Existentiam DEI, multosque à Numinis cultu abstraheret.

2dæ partis Ratio. Quia cùm quandoq; contingat, ut ipsemet *v. g.* Petrus, deprehendat, id à Vero longissimè deflectere, quod, cum tanta exaggeratione & absq; ulla hæsitatione, certissimum, ac veritati omnimodè conformari sentiebat; haud difficulter fiet, eundem Petrum, dein ancipitem hærere de rebus in se certissimis, tandem & de Existentia DEI.

Nec non familiaritas cum impiis, & despicientia rerum sanctarum.

Proculdubiò etiam ad voraginem Atheisticam accessus fit: tum per arctam familiaritatem cum hominibus prorsus impiis, lectionemq; librorum impiorum, præsertim, si fiat, à minùs literatis, nec in recta fide solidatis. Tum per assvetudinem ludendi, jocandi in rebus sanctis. Veritatem hanc, præter dolendam multorum experientiam, comprobat Scriptura sancta, Psal. 17: *Cum perverso perverteris*; & 1 ad Corinth: v. 5: *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos, colloquia prava.* Haud dubiè & fidem ac Religionem sanctam corrumpit librorum impiorum lectio: quæ est quædam collocutio cum impiis Auctoribus, Prava item illâ assvetudine, sensim minuitur, Religionis reverentia, succeditque contemptus. Hinc gra-

graviter arguendi sunt, qui verbis Scripturæ divinæ abutuntur ad jocos, amoresq; obscænos, nec non sacro vestitu ac ceremoniis Ecclesiasticis ad histrionicas ineptias.

CAPUT VI.

ASsero 6tò. *Ementita prodigia, & Historiæ patheticæ, Concionibus & libris etiam editis, insertæ, ac opinione communi pro veris acceptatæ; Nec non universalis contemptus status Ecclesiastici, disponunt ad Atheismum.*

Confictio prodigiorum est dispositio ad Atheismũ.

PRima pars declaratur. Quia ordinariè successu temporis, vel ex aliquo accidenti, illorum prodigiorum ac Historiarum innotescit falsitas, Hinc suboritur dubium, an pari ratione, eo fine, ut vulgares animæ contineantur in officio, à sceleribusq; deterreantur, non sint conficta miracula & historiæ, quæ passim ut indubitata circumferuntur, ad Fidei Christianæ mysteria, ipsiusque DEi Existentiam comprobandam: cui dubio & paritati, homini minùs literato, cùm non occurrat quandoq; ratio solida disparitatis, facilè fieri potest, ut succumbat. Con-

tra

tra ejuſmodi fictores, intorquenda ſunt verba illa Sancti Jobi, cap. 13. v. 7. *Nunquid DEus indiget veſtro mendaciô, ut pro illo loquamini dolos*? Quare meritò Propoſitio hæc: *Licitum eſt Concionatori fingere hiſtoriam aliquam, modò illâ permoveantur homines ad bonum*; prohibita eſt doceri in ſcholis noſtris.

S. Romana Eccleſia haud facilis in approbandis miraculis.

Hic meritò laudanda eſt conſvetudo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ minimè facilem ſe præſtat in confirmandis miraculis, & quidquid miraculorum, in Univerſa Eccleſia approbatur, primùm (ut præter alios, in ſua Manuductione ad converſionem Hæreticorum, cap: 9. §. 5. refert Thyrſus Gonzales S. J. oculatus teſtis) in Sacræ Congregationis Rituum integerrimo Tribunali, diſcutitur: eò Theologi optimi evocantur: ibi Promotor fiſcalis adeſt, qui magnô ſtudiô, exquiſita cognitione, hinc inde èxceptiones, tam in jure, quàm in facto, quærat, opponat; hoc, caſu: hoc, cryſi: hoc, naturalibus mediis; hoc, dæmonis ope fieri potuiſſe? diſputat. Hiſtoriæ rerum ſimilium citantur: errores, in eo genere committi ſoliti, producuntur: collatio inſtituitur: Medicorum Philoſophorum ſenſa producuntur: teſtes colliduntur: circumſtantiæ quæq; expenduntur: nihil, uno verbo,

verbo, omittitur, quod ab hominibus prudentibus geri in tali negotio debeat, & valeat: ſic primùm diſcuſſa cauſa, denuo coram ipſo Romano Pontifice inſtituitur, &, ſi omnia manifeſtiſſima non erunt, nihil factum. Qui Romæ adfuimus (inquit citatus Auctor, qui Univerſæ Societati Generalis, laudatiſſimè præfuit) ſatìs ſumus hujus veritatis conſcii, novimus, quàm ſit difficilis provinciæ, vel unius miraculi approbationem, poſt diuturnam diſcuſſionem, elicere: ex magna miraculorum multitudine, vix unùm, imò nullum aliquando approbatur. Laudanda eſt & Prælatorum illorum vigilantia, qui ſedulò allaborant, ne confingantur miracula, nec mirabilia quævis, pro veris miraculis, acceptentur.

Secunda jam pars Aſſertionis noſtræ probatur. Quia tali contemptu ac odiô plurimùm atteritur reverentia omnis Religionis, ejuſmodiq; contemptores & odiô habentes, vel ſunt Hæretici, aut Machiavelliſtæ Pſeudo-politici, vel proximè diſpoſiti, ut labantur in Hæreſim, aut Machiavelliſmum: ut conſtat plurimorum exemplis. *Contemptꝰ, & Odium univerſale Statûs Ecclesiaſtici, diſponit ad Atheiſmũ.*

Illuſtratur. Qui omnes præcipuos alicujus Principis Miniſtros, contemptu & odiô habent, facilè recedunt poſt ab ipſo Principe; imò etiam illum ſuum Principem

pem esse negant. Ita pariter, qui con-
temnunt ac odiô habent universaliter Ec-
clesiasticas Personas, qui sunt Ministri DEI
& dispensatores Mysteriorum ejus, facilè
contemnunt DEum, quin, nec adeò diffi-
cilè ut ab ipso recedant etiam per ab-
negationem.

Exponitur duplex causa contemptûs & odij, refelliturq́ue.

Ast forsan ad excusandas excusationes
in peccatis, dicet quispiam Pseudopoliti-
corum patronus. Meritò contemnimus
& odio habemus statum Ecclesiasticum,
ob vitam Ecclesiasticorum scandalosam.
Nec non ex eo Ecclesiastici merentur sui
odium, quòd multæ Ecclesiæ nimis preti-
oso & superfluo fulgeant apparatu. Re-
spondetur, Demus, ex Clero multos, non
paucos, ex Religiosis, scandalosè vixisse
ac vivere. Verùm certò incomparabili-
ter plures, exemplariter. Contemnenda-
nè & odio habenda Ecclesia Christi, in
qua, usq́ue ad finem Mundi, permiscen-
tur zizania cum tritico, pisces boni cum
malis, reperiunturq́; fatuæ virgines cum
prudentibus? etiam in Angelis suis repe-
rit DEus pravitatem, tertiaq́; pars illorum
rudentibus inferni detracta est in tarta-
rum. *Nec propter pisces malos, rumpi-
mus retia Domini*: (ut sapientissimè no-
tat ex Divo Augustino, Doctor Angeli-
cus Opusculo 19. cap. 20.) *non ergo pro-
pter*

pter hoc, infamandum eſt Religioſorum Collegium (multò minùs contemnendus, odioq́ue habendus Status Eccleſiaſticus) *ſi aliqui ex eorum numero, gravia etiam peccata committant.*

Accedit, quòd ut prudentiſſimè advertit ibidem, idem Sanctus Doctor. *Homines perverſi, ſua detractione quadrupliciter procedunt* de *viris ſpiritualibus. Mala, ſi quæ ſunt vera, extendunt: dubia aſſerunt: falſa confingunt: bona pervertunt.*

Ne tamen Novatores nimiùm ſibi applaudant, de ſuorum, exemplari vita, audiant quid ſenſerit de ſui ſequacibus, ipſemet Lutherus. *In luce clara Evangelii* (inquit ille in ſua Poſtilla, Dominicâ primâ Adventûs) *homines ſunt magis nunc avari, magis injuſti, magis crudeles, magis ſcandaloſi nunc facti ſunt, quàm fuerunt in Papatu.* Non abſimilia habet Smidelinus, Lutheranorum in Germania Anteſignanus, Concione 4ta in Caput 21mum Lucæ. Calvinus item libro de ſcandalis, ait: *Cùm tot hominum millia, abnegato Papatu, cupidè, ut videbatur, nomen dediſſent Evangelio, quid præ ſe major pars tulit, niſi ut excuſſô ſuperſtitionum jugô, ſolutiùs in omnem laſciviam difflueret?* *Novatorum vita an exemplaris?*

Ad illud, quod de Eccleſiarum pretioſo apparatu, objicitur. Reſpondeo, Templum *Templi Salomonis cũ ſuo appara-*

tu, quanta magnificentia? plum unicum à Salomone exſtructum, cum ſuo apparatu ſumptum, ſuperabat quò ad pretium, omnia ferè Templa Chriſtianorum, accepta cum ſuis apparentiis, in quocunque Regno Catholico: ut patet ex his. *Primò*, quia David reliquit Salomoni pro Templo exſtruendo (ut legitur, 1. Paralip. cap. 22. v. 14.) auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: id eſt, bis mille & quadringentos milliones aureorum: quantum auri vix eſt in tota Europa, ut dicit Doctiſſimus Cornelius à Lapide in fine Commentariorum in Pentateuchum, ubi de menſura & ponderibus. Hæc ſumma aureorum eſt tanta, ut ſi ex uno loco ad alium inſimul curribus devehenda fuiſſet, debuiſſent eſſe ſaltem decem millia nongenti octoginta currus, licèt in quemlibet currum, impoſita fuiſſent ducenta quinquaginta millia aureorum: ut notavit cum aliis Drexelius, parte tertia Aurifodinæ, capite 1mo. *2do*, quia præter plurimos lapides pretioſos, & marmor parium, æris ac ferri magnam nimis copiam, quæ David pro Templo contulit, etiam *Principes familiarum & Proceres tribuum Iſrael, Tribuni quoque & Centuriones, & Principes poſſeſſionum Regis, obtulerunt ſpontè in opera domûs DEi,*

auri

auri talenta quinque millia, & solidos decem millia (solidus erat sexta unciæ pars) *argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia, ferri quoque centum millia talentorum: & apud quemcunque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros Domûs Domini.* 1. Paralip. cap. ultimo. *3tiò,* Salomon ipse adjecit etiam plurimum de auro, argento, lapidibus pretiosis ex thesauro suo ad ornatum Templi. *4tò.* quia parietes & laquearia Templi tegebantur aurô, ita, ut intrantium oculos, fulgor perstringeret: *fecitque Salomon* (ut legitur 3. Regum, cap. 7.) *altare aureum, & mensam auream, & candelabra aurea quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram, & lucernas desuper aureas: & forcipes aureos, & hydrias & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula de auro purissimo: & cardines ostiorum Templi, ex auro erant.* Josephus, Judæorum disertissimus Historicus, Imperatori Vespasiano percharus, à S. Hieronymo Epist: 22, Livius Græcus appellatus, hic inquam Josephus, libro 8vo Antiquitatum, cap. 2do, habet hæc: [Pavimen-
„tum Templi constravit Salomon laminîs
„aureîs - - Mensas quoque; multas dedica-
„vit Rex, & in his unam magnam aure-
„am, in qua proponebantur sacri panes,

,reliquæ non multò deteriores, diverſo
,modô factæ ſuſtinebant phialas, & pa-
,teras aureas vigeſies mille, argentearum
,quadraginta millia. Candelabrorum i-
,tem fecit decem millia. - - Cantharorum
,autem vinariorum,octuaginta millia,Rex
,comparavit, & phialarum aurearum mil-
,lia decem: argentearum verò alterum
,tantum. Lancium item aurearum octua-
,ginta millia, duplum verò argentearum.
,Craterrarum ſexaginta millia aurearum,
,& alterum tantum argentearum. Men-
,ſurarum verò, quales Moſi, Hin vocantur
,& Aſſaron, aurearum erant viginti mil-
,lia, & duplicatus numerus argentearum,
,Acerræ quoque aureæ, quibus odora-
,menta in templum inferri ſolent, erant
,numero viginti millia: & aliæ, quibus
,deferebatur ignis à magno altari in par-
,vum, intra templum, ſitum, quinqua-
,ginta millia. Paratæ erant & Sacerdo-
,tales veſtes in uſum Pontificum, annu-
,meratis talaribus & epomidibus atque
,logeo cum ſuis gemmis, in univerſum
,mille. Corona verò in qua Moyſes, DEi
,nomen inſcripſit, unica fuit, & uſque in
,hodiernum permanſit. Stolas autem Sa-
,cerdotales è byſſo fieri curavit cum de-
,cies mille zonis purpureis, & tubarum,
,quales Moyſes præſcripſit CCM. Item

aliàs

„alias ſtolas byſſinas Levitis, hymnorum
„cantoribus, numero ducenta millia, in-
„ſtrumentorum præterea muſicorum, quæ,
„naula & cinnyræ vocantur in uſum hym-
„nodiarum, ex electro confecit quadrin-
„genta millia.] Hucuſque Joſephus. Porro templum illud à Salomone ædificari cæpit ante Chriſti Nativitatem Anno 1017. & poſt annos ſeptem, totidemq; menſes, finitum: ſupra ducenta millia operariorum in eo conſtruendo adhibita. Vide Cornelium à Lapide in libri 3tii Regum, cap. 6. & 7. item de menſuris & ponderibus.

Dixit quondam DEus Ezechieli, cap. 43. *Tu fili hominis, oſtende domui Iſrael Templum, & confundentur ab iniquitatibus ſuis.* Utinam etiam ab iniqua ſua objectione adverſus pretioſum Eccleſiarum Chriſtianarum apparatum, confundantur Adverſarii, quibus ex Scriptura Sacra, & Joſepho Hiſtorico, ex parte demonſtravi majeſtatem unius Templi, à Salomone exſtructi.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS.

An Hæreses, & quænam, sunt Gradus ad Atheismum?

Quænam est hæreseos Ethymologia?

HÆc vox *Hæresis*, græcè, ab electione, dicitur: ut docet Tertullianus, S. Hieronymus, S. Thomas; derivataq; est à verbo græco αἱρέομαι, quod eligere significat: & antiquitus sumebatur pro electione, tam veræ, quàm falsæ doctrinæ: nunc tamen ex communi usu Ecclesiæ, accipitur solùm pro electione doctrinæ malæ in materia sacra & fidei; & à plerisq; Theologis cum Magno Suarez, altero suæ ætatis Augustino, definitur sic: *Est voluntarius & pertinax error in materia fidei Catholicæ contraria, in homine, qui se Christianum esse, profitetur*. Gregorius de Valentia, qui à Clemente VIII, Doctor Doctorum est appellatus, dicit cum qui-

Quid Hæresis definitivè?

quibuſdam: *Hæreſis eſt error fidei Catholicæ contrarius, cui, pertinaci animo inhæret is, qui eſt fidem in baptiſmo profeſſus.* Doctiſſimus Pater Oviedo ait: Hæreſis *eſt judicium plenè liberum, immediatè oppoſitum veritati, quam, quis noſcit ab Eccleſia eſſe propoſitam, ut in ſe revelatam à Deo, elicitum ab eo, qui baptiſmum ſuſcepit.* Omnes hæ definitiones Hæreſeos, ferè ſecum coincidunt, mihi tamen præ aliis, definitio prima placet, in qua, nulla fit mentio baptiſmi, idque ex eo, quia Mennoniſtæ etiam priuſquam baptizentur, ſunt Hæretici, nec non & Quackeri, licèt hi ordinariè nunquam ſolent baptizari. Ex dictis, habetur, quid ſit Hæreticus: ſcilicet, qui Hæreſim committit, ſeu qui ſe Chriſtianum profeſſus, habet errorem, fidei Catholicæ contrarium, illique pertinaciter inhæret. Vel ſi quis mavult (per me licet) dicere cum S. Auguſtino libro de Utilitate credendi cap. 1. Hæreticus eſt *qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ principatusq; ſui gratiâ, falſas ac novas opiniones* (intellige, contrarias Eccleſiæ Catholicæ) *vel gignit, vel ſequitur.*

Quid eſt eſſe hæreticum?

Adverte, Chriſtianum, affirmativè deliberatè dubitantem de veritate aliqua Fidei Catholicæ credenda, eſſe Hæreticum.

An dubitans de veritate Fidei

Catholica, est hæreticus?

Et sic Hæreticus est, qui judicat, non esse certum, dari tres Personas Divinas inter se realiter distinctas: vel à Verbo æterno naturam humanam assumptam, vel judicat esse dubium: An detur purgatorium, vel: An licita sit invocatio Sanctorum, &c: *Fides* enim, ut ait Divus Bernardus libro 5to ad Eugenium de Considerat: cap. 2. *ambiguum non habet, &, si habet, fides non est.* Hugo Victorinus libro 1mo de Sacris, Part. 10. cap. 2. *Ubi* (inquit) *dubitatio est, fides non est.*

CAPUT I.

ASsero 1mò. *Hæresis, est Gradus ad Atheismum.*

ITa sentiunt gravissimi Doctores, Cardinalis Hosius, Lindanus Episcopus, Rescius, Vasquez, Cornelius à Lapide, Lessius & alii: quibus longè antè præivit Clemens Alexandrinus, inquiens: *Hæreseon sedimentum, est DEi abnegatio.*

Hæresim esse Gradum ad Atheismum, asserunt Patres.

Assertio Probatur 1mo, Auctoritate. S. Hilarius, libro ultimo, ad Imperatorem Constantium Arianum ait: *Periculosum nobis admodum atq; etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mores: & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia*

vitia ſunt: dum, aut ita fides ſcribuntur, ut volumus, aut ita ut volumus, deliguntur: & cùm, ſecundùm unum DEum, & unum Dominum, & unum baptiſma, etiam fides una ſit, excedimus ab ea fide, quæ ſola eſt: & dum plures fiunt, ad id cæperunt eſſe, ne ulla ſit.

S. Auguſtinus libro 18. de Civit. cap. 52. *Cupivit per Hæreticos, Diabolus efficere, ut in Eccleſia eſſent liberæ diſſenſiones, quomodo erant in Academijs Philoſophorum, ut ſicut illæ, per multas diviſiones, tandem intereunt, & ad invicem conſumuntur, ita fieret in Eccleſia.*

Vincentius, natione Gallus, apud Monaſterium in Lirinenſi Inſula Presbyter, doctrinâ & ſanctitate conſpicuus, ut legitur 24. Maji in Martyrologio Romano, ſcripſerat Anno 434. libellum abſcondito ſuo nomine, quem intitulavit, *Commonitorium Peregrini, adversùm Hæreticos*: nunc verò ſolet intitulari, *adverſus profanas Hæreſeon Novationes* in illo ergo verè aureo, ante annos 1280. conſcripto libello, cap. 27. & 31. leguntur hæc: *O Timothee, o Sacerdos, o tractator, o Doctor, intelligatur te exponente illuſtriùs, quod antè obſcuriùs credebatur, ſed nefas eſt, ut priſca Cæleſtis Philoſophiæ dogmata, commutentur; nefas, ut detruncentur, ut*

mutilentur: Accipiant licèt evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant, necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem. Si semel admissa fuerit hæc, impiæ fraudis licentia (dogmata Fidei Catholicæ immutandi, detruncandi rejiciendi) *horreo dicere, quantum exscindendæ atq; abolendæ Religionis periculum consequatur: Abdicata etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia & alia, jam quasi ex more & licito, abdicabuntur. Porrò singulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur?*

S. Leo Serm. 4. de Collect: dicit. *Facilè, diabolus in omnia flagitia impellit, quem in Religione decepit.*

Ratio multiplex idem comprobat.

Probatur 2dò, Ratione. Quia dum Religio Catholica deseritur, habens veritatis suæ, tot certa & evidentia documenta, nihil in oppositis sectis, reperitur certi ac solidi, cui animus humanus, non omnino rudis, acquiescere possit: imò plurima reperiuntur, (patebit id etiam ex dicendis) quæ repellunt hominem prudentem, ne illas amplectatur, vel, si amplexus est, ut eas deserat: hinc fit, ingeniosiores Hæreticos plerosq; vel ab una secta in aliam, & sæpiùs in Atheismum

devolvi: ut ex plurimis aliqua exempla infrà danda comprobant: vel ſaltem dubios hærere, an aliqua in orbe ſit vera, aut debeat eſſe Religio.

Confirmatur. Quia Hæreticis, ultima regula credendi, eſt privatus cujuſq; ſenſus, & ſpiritus. Hæc porro Regula eſt fons plurimorum ingentium errorum. Hinc enim ſibi in multis contradictoriè oppoſitæ, quadringentæ quinquaginta Hæreſes (tot enim numerantur à Chriſti temporibus, idque ſolùm, ad annum 1595. nunc jam ſunt plures) profluxerunt, cùm unius Hæreſiarchæ ſpiritui privato viſum ſit, hæc, & non alia, contineri in Scriptura, eſſeq; à DEo revelata: alterius autem Hæreſiarchæ ſpiritui privato, viſum ſit, contrarium revelatum. Quid mirum, ſi inde ulteriùs procedatur, & quiſpiam dicat, ſuo privato ſpiritui videri, nullum eſſe librum Scripturæ ſacræ: ſed omnes humano nonniſi Spiritu, & erroneo conſcriptos, utì defacto Simon Magus, Marcion, Manichæi, Albingenſes, noſtriſq; temporibus, Libertini, & quidam Anabaptiſtæ, progenies Lutheri, libros veteris Teſtamenti cum Moyſe rejecerunt. Demum alius dicat, ſibi videri, Argumenta quæcunq; adferri ſolent ad comprobandam Exiſtentiam Dei, non eſſe cer-

ſecè ineſt ſummum odium in Sponſam Chriſti, quæ eſt Eccleſia Catholica, quam cenſet eſſe adulteram Satanæ, & deditam idololatriæ, multifariisque abominandis ſuperſtitionibus. Ergo hæreſis diſponit ad Atheiſmum. Conſequentia patet ex Capite 1mo & 3tio, Tractatûs primi.

CAPUT II.

ASſero 2dò. *Tam eorum Sententia, qui docent; Quemlibet honeſtè viventem in quacunque ſecta Religionis Chriſtianæ, poſſe ſalvari: quàm illorum, qui ſentiunt, animam humanam non eſſe immortalem, eſt Gradus ad Atheiſmum.*

Sententia docens quēlibet in ſua ſecta ſalvari, inducit Atheiſmum

PRima pars Aſſertionis noſtræ probatur. Quia hæc Sententia manifeſtè inducit, ut minimè curetur, ſive cum Orthodoxis credatur, Filium DEI & Spiritum ſanctum eſſe verum DEum, unum cum Patre; ſive dicatur cum Macedonianis, Spiritum Sanctum, eſſe minorem Patre & Filio: vel cum Arianis & Socinianis, eſſe meras creaturas Filium & Spiritum Sanctum: item, ſive cum Servetianis dicatur, DEum illum qui vocatur Jehova, in ligno eſſe lignum, in lapide lapidem

pidem, in arbore arborem esse, eò quòd formam & substantiam ligni, lapidis, & arboris verè habeat: sive cum Manichæis sentiatur, DEum unum esse bonum, alterum malum, & quidem DEum veteris Testamenti, fuisse malum: vel cum Carpocratianis & quibusdam Novatoribus, DEum esse Auctorem omnium scelerum: vel demum (ut alia portenta errorum omittam) cum Albingensibus dicatur, Animam hominis sic in morte cum corpore perire, ut nusquam postea redeat; ac insuper approbentur vel saltem non improbentur supradictæ blasphemiæ Macedonianorum, Arianorum, Servetianorum, Manichæorum, Carpocratianorum, Novatorum. Id autem quid aliud, quæso, est, nisi nullam curare Religionem, & merum inducere Atheismum?

Confirmatur. Sententia prædicta, est Hæresis. Ergo disponit ad Atheismum. Consequentia patet ex dictis supra Cap. 1. Antecedens probatur. Tum quia Lutheranismus, Calvinismus, Jansenismus, disjunctivè sumpti, sunt hæreses, ut certum apud Catholicos, & ex dicendis in hoc Tractatu. Ergo multò magis Sectariorum illorum indifferentismus, utpote omnes complectens hæreses.

Tum quia, si juxta S. Paulum, 1. ad

Timo-

Timoth. 4. hæreſis eſt dicere, nuptias eſſe à diabolo, & nonnullas eſcas, naturâ ſuâ eſſe immundas. Item, ſi teſte S. Joanne 1. Epiſt: cap: 4. Hæreſis eſt, & doctrina Antichriſti, duas Chriſto Domino tribuere Perſonas. Nonne multò gravior hæreſis eſt, ſentire, quemlibet in ſua ſecta poſſe ſalvari? Tum quia illa ſententia, eſt error, directè Fidei Catholicæ & Antiquitatis Chriſtianæ, Sanctorumq; Patrum doctrinæ, graviter oppoſitus: ut evidenter demonſtratur infrà in Notato 1mo & 2do.

Nec non opinio illa, graviter erronea, quæ negat Animam humanam eſſe immortalem.

Secunda pars Aſſertionis probatur multipliciter. 1. Quia Sententia illa, tollit è vita humana omnem probitatem, inducitque Epicureiſmum, & omnem impietatem. Unde S. Auguſtinus lib. 6to Confeſſionum, cap: ultimo ait: *Epicurus accepturus fuiſſet palmam in animo meo, niſi ego credidiſſem poſt mortem reſtare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.* Et Doctiſſimus Cornelius à Lapide in, Libri Sapientiæ, Caput 1. *Sicut* (inquit) *Animæ immortalitas, impellit hominem, ad metum cultumq; Numinis, per modeſtiam, puramq; vitam: ſic mortalitas Animæ, homini perſuaſa, inducit eum ad negandum Numen, omnemq; Religionem, ut homo liberè vivat,*

ſequa-

ſequaturq; ſuas libidines.

2dò. Illa Opinio de mortalitate Animæ tollit DEum, facit enim Eum, non eſſe juſtum, nec providum: quia nec Vindicem malorum, nec Remuneratorem bonorum: multi enim ſceleribus obruti, ducunt in bonis dies ſuos uſque ad vitæ exitum: è contra plurimi è numero juſtorum graviſſimè affliguntur. Quare S. Clemens lib: 3. Recognit: ait: *Si DEus juſtus eſt, Anima, immortalis eſt.* Origenes ſuper Cantica; *Ubi eſſet juſtitia DEI, ubi bonorum merces, ſi Anima eſſet mortalis.?* Divus Chryſoſtomus, Tomo 5to, Homilia 4ta de Providentia. *Si nihil* (inquit) *eſt poſt hanc vitam* (id eſt, ſi Anima cum corpore extinguitur) *ne DEus quidem eſt: ſin DEus eſt, juſtus eſt: quòd ſi juſtus ſit, pro Dignitate tribuet unicuiq;: ſin nihil poſt hanc vitam ſit, quomodo, quod par eſt, recipiet unusquisq;? Attende verò: Multi præter meritum ſuum, quemadmodum ipſi initio confeſſi ſunt, multa bona accipiunt in hac vita, & cum honore ſunt: alii verò ſupplicis afficiuntur, qui cum juſtitia vixerunt. Quòd ſi nullus ſit locus his, poſt hanc vitam, injuriâ affecti diſcedent juſti, & præter meritum, bonis fruentur injuſti. Quod ſi ſit, quomodo eſſe juſtitia*

possit? Vel enim aliquem locum esse necesse est, qui pro meritis suis redderet unicuique: in hac vita enim, hoc non invenitur: vel si talis locus non sit, quomodo pro meritis suis recipiet unusquisque? sin nemo secundùm merita recipiet, ne DEus quidem, tuâ sententiâ, justus est. Sin non DEus justus sit, ne DEus quidem erit.-- DEum esse res omnes clamitant, atque adeo justum esse. Sin justus sit, pro dignitate sua reddet unicuique: sin pro dignitate sua reddat unicuique, necesse est aliquem post hanc vitam esse locum, in quo pro dignitate sua recipiet unusquisque, & vel pœnas dabit, vel in honore erit, propter illa, quæ ab eo gesta sunt. Hucusque S. Doctor. Eadem ratione ad probandam immortalitatem Animæ, usus est Plato in Phædone circa finem. Socrates apud Ciceronem Tusc: 1. Epicamus Pòéta gentilis, cujus verba refert præter alios, Eugubinus lib. 9 cap. 11.

3tiò. Qui negat Animæ immortalitatem, is patenter despicit Auctoritatem Scripturæ Sacræ, nec non Christi Domini; ab utrisque enim evidenter asseritur immortalitas Animæ, Danielis cap. 12. *Qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium.* Ecclesiastæ cap. 12. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Sapientiæ 3tio:

Justo-

Justorum animæ in manu DEi sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum; & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. & cap. 4to: *Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Christus etiam Dominus dicit Joan: 10. *Qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam.* Matth: 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non possunt occidere.* & Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam &c:* Insuper negans immortalitatem Animæ, despicit consensum omnium Gentium, etiam barbararum, omnium ætatum, omnium sapientissimorum, asserentium animas humanas non interire. Porro, si quis origine Christianus, interq; eos educatus, contemnat Auctoritatem Christi Domini, Divinæq; Scripturæ, nec non cunctarum gentium consensum, sitq; in libidinem, aliaq; scelera totus effusus, eum, ab Atheismo vix uno passu distare, nullus credo prudentûm diffitebitur.

Addo. Multorum experientiâ observatum est, formales Atheos, vel, qui in Atheismum jamjam præceps ruere meditantur, cùm pudenda eloquia verbis oris *Athei impietatem suam indirectè pro-*

dunt, dicendo, Animæ immortalitatem non posse ratione evinci.

non audeant committere, directè negando DEi Existentiam, vel eam in dubium revocando; si enim vellent, verbis oris id eloqui, stulti esse ac impii, sicuti sunt, publici assensûs judiciô arguerentur, quin ejusmodi impiis, in umbra mortis sedentibus, flamma forsan & rogus, ut merentur, ad illustrandam Existentiam DEi, accenderetur: impietatem tamen illam suam indirectè manifestare solent, negando, posse ulla ratione evinci, animam humanam esse immortalem, seu non statim interire post mortem hominis, sicut defacto intereunt animæ brutorum.

Ad meliorem intelligentiam dictorum.

Hæreticum quà talem non esse salvandum, multis deducitur cōtra quosdā Novatores, & antiquos hæreticos.

Nota imò. Hæreticum, in sua hæresi non esse salvandum, constat certò ex Scriptura Sacra, Patribus, & sensu totius Antiquitatis Orthodoxæ. Christus enim Dominus Matth. 18. dicit: *Qui non audierit Ecclesiam* (utiq; Christi veram? quæ unica est) *sit tibi tanquam Ethnicus.* & Marci 16: *Qui non crediderit* (intellige, juxta institutionem Christi) *condemnabitur.* S. Paulus ad Titum 3. inquit: *Hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cùm sit propriô judiciô condemnatus.* S. Joannes

nes Epist. 2. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec ave ei dixeritis*; ideoque noluit in eodem balneo cum Hæretico Cerintho lavari: & Divo Policarpo Smirnensi Episcopo, Joannis Apostoli discipulo, cùm Marcion Hæreticus occurrens, diceret: *Agnoscis nos?* Respondit ille: *Agnosco primogenitum diaboli.*

Et certè, Religionis falsæ, auctor cùm non sit DEus, sed dæmon, quis in ejusmodi Religione à diabolo erecta, prudenter sperare queat salutem? Item: si teste Divo Paulo I. ad Corint 13. Nihil prodest si quis tradat corpus, ita ut ardeat, charitatem autem non habeat: quidni multò magìs id de vera dicendum Fide, quæ ipsius charitatis, aliarumq; virtutum Christianarum est fundamentum? Accedit. Sicut una est beatitudo vera, unus DEus, & Dominus omnium, ita solummodo est una Fides vera, quæ ad DEum, salutemq; æternam ducit; indubitatum verò est, Fidem Acatholicam, Lutheri, Calvini, Mennonis, &c. non esse unam Fidem, neque tam multiplices religiones esse insimul veras, siquidem Articulos multos Fidei continent, sibi contradictoriè oppositos.

Demum, idem comprobat Sancto-

rum Patrum, & totius Antiquitatis Orthodoxæ ſenſus. Audiatur S. Auguſtinus, qui floruit circa Annum Domini 420. is lib. 4to contra Donatiſtas, cap: 8. ait: *Nulli dubium eſt, hæreticum, propter hoc ſolùm, quòd hæreticus eſt, Regnum DEi non poſſeſſurum.* & lib. de Paſtoribus, cap: 12. dicit: *Quàm diverſæ ſunt hæreſes, quàm diverſi errores: diabolus in omnibus vult errare homines: non dicit diabolus, Donatiſtæ ſint: & non Ariani: ſive hi ſint, ſive illi, ad diabolum pertinent: deſerta unitate, in illam vel illam hæreſim, pergat, meus eſt, inquit diabolus.* Item Serm: 188. de Temp. *Contingit, ut in corpore humano, imò de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes: nunquid præciſum ſequitur anima? cùm in corpore eſſet, vivebat; præciſum amittit vitam. Sic & homo Chriſtianus, Catholicus eſt, dum in corpore vivit, præciſus, hæreticus factus eſt. Membrum amputatum non ſequitur Spiritus.* Similia habet S. Cyprianus Martyr in Tract: de Unitate Eccleſiæ. S. Ambroſius in Cap. 9. Lucæ. S. Fulgentius lib. de Fide, ad Petrum Diaconum, cap. 38. & 39. Sed ne fuſior ſim, eorum teſtimonia omitto, præſertim, quòd etiam ipſis Calvini Aſſeclis ſufficere abundè debeat

beat ad perſvadendam hanc veritatem, ſenſus Divi Auguſtini, utiq; ipſemet Calvinus in ſuiſmet libris Inſtitutionum, plus decies, Virum Sanctum, vocat Auguſtinum. & lib. 3. Inſtit: cap. 2. §. 35. dicit: *Auguſtinus Scripturarum fidus interpres eſt.* Et infrà cap. 3. §. 10. dicit: *Neq; opus eſt multum inveſtigando laborare, quid hic veteres ſenſerint: quando unus Auguſtinus ſufficere ad id poteſt, qui fideliter, magnaq; diligentiâ, omnium ſententias colligit, ex illo igitur ſumant lectores, ſi quid de ſenſu Antiquitatis habere certi volent.* Quin & Lutherus in Colloq. menſ: Tit: de Patribus, ait: *Auguſtinus, præ omnibus Doctoribus mihi placuit, & placet: inſignis eſt, omni laude dignus.*

De Sancto Auguſtino quidnam ſenſit Calvinus, & Lutherus?

Ex dictis patet, quàm longè à vero deflexerint, Serranus, Iſaacus, Caſaubonus, Faius, Hobbeſius, aliique ſat multi in Hollandia, Anglia, & Germania, qui docuerunt, quemlibet Chriſtianum in ſua fide poſſe ſalvari: quod pridem antè etiam circa Annum Domini 146, Apelles, Marcionis Hæreſiarchæ diſcipulus cenſuit, qui, ut teſtatur Rhodon apud Euſeb: lib 5. Hiſt: c. 13 dixit: *Non rationem fidei omnino quærere oportere: ſed quemq; in ea fide perſtare debere, quam profeſſus fuiſſet. Eos enim, qui in Chriſtum crucifixum, ſpem conjeciſ-*

sent, salvos fore, dummodo in bonis operibus sedulò versari, reperirentur. Idem sensêre Manichæi, & Rhetoriani hæretici, à Rhetorio quodam in Ægipto exorti, qui hæreses omnes laudabant: nullas errare, omnes bene sentire dicebant: ut de Rhetorianis refert S. Philastrius Episcopus Brixiæ, S. Ambrosii coætaneus, lib: de hæresibus.

Etiam ea, quæ in symbolo non expressè habentur, credenda sunt.

Nota 2dò. Non sufficit ad salutem, si tantummodo ea, quæ de DEo & Christo in Symbolo Apostolorum clarè habentur, credantur, alia autem dogmata, pro Adiaphoris, velut problematicè disputari permissis, censeantur: ut vult Polanus cum aliis quibusdam hæreticis. Ratio est. Quia aliàs posset quis salvari, negando Scripturam Sacram dari: negando Baptismum, & omnia Sacramenta, pænarum item æternitatem: asserendo, nuptias esse à diabolo, & aliquas escas ex natura sua esse malas, plurimaq; alia; siquidem nihil de his expressè habetur in Symbolo Apostolorum. Accedit. Quòd Sectæ multum discrepent in explicando sensu ipsius Symboli.

Longè diversa est inter Catholicos & No-

Nota 3tiò. Differentia inter Catholicos & Lutheranos, Calvinistas, Mennonistas, non est similis illi, quæ datur inter Thomistas & Scotistas, Nominales, aliosq;

aliosq; Theologos: hi enim, nihil docent contrarium definitionibus Ecclesiæ Catholicæ, paratiq; sunt sententias, de quarum veritate inter se concertant, illicò deserere, si Ecclesia Orthodoxa in Conciliis legitimis congregata, vel etiam visibile Caput Ecclesiæ, Romanus Pontifex, definiret, eas esse erroneas: secus dicendum de Lutheranis, aliisque hæreticis.

vatores differentia, ab ea, quæ est inter Thomistas & Nominales.

Nota 4tò. Famosissimus impostor, Mahometes, impiè inter alia, docuit, quemvis salvari posse in sua lege ac Religione, sive sit Judæus, sive Christianus, sive Mahometanus: in suo enim Alcorano, Azòára 2. leguntur hæc: *Sciendum generaliter, quoniam omnis rectè vivens, Judæus, seu Christianus, seu lege sua relicta in aliam tendens, omnis scilicet DEum adorans, bonique gestor, indubitanter divinum amorem assequetur.* Et Azàóra 12: *Credentes, atq; Judæi, & Angelos, locò DEI adorantes, qui scilicet legem pro lege variant, Christiani etiam omnes, hi inquam, si in DEum crediderint, & judicii diem expectantes bene fecerint, nihil timeant.* Hanc Mahometis insaniam, post exortum Lutheranismi, quidam pseudo Christiani insanè approbârunt, inter quos reponendus David Georgius Del-

Mahometis error crassus de salute hominũ, nec non cujusdam Novatoris.

 phis,

phis in Batavia natus, qui imperante Carolo V, inter alios absurdissimos errores, docuit: stultum esse, si quis censeret, esse peccatum, abjurare Christum: ideoq; stolidos vocabat, Apostolos & Martyres, quòd ob eam querelam, se occidi permiserint: dicebat item, animas eorum, quos, infideles, nuncupamus, æquè salvandas, atq; fidelium. Enormis falsitas hujus doctrinæ, patet ex dictis suprà.

Accedit. Quia Christus Dominus expresse Joannis 3. v: 16, dixit: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.* Judæi verò increduli sunt Filio, nam Eum appellant, seductorem: Mahometani autem, licèt credant, Christum, Prophetam fuisse Sanctissimum, & verum Messiam promissum Judæis in lege antiqua, ipseque Mahometes in Alcorano suo, lib: 1. cap: 3. dicit: *Non est aliud Messias JEsus Christus Filius Mariæ, nisi Verbum DEi;* tamen non credunt, Eum esse verum DEum, nec verè passum & mortuum: cùm tamen Christus dixerit, se esse unum cum Patre, prædixeritque, se passurum, ac moriturum. Patet item ex dictis, Opinionem illam Mahometis, & illius Davidis esse ad Atheismum, adhuc propi-

propiorem gradum, quàm Sententia eorum, qui docent omnes ſalvari poſſe ſolùm in quacunque ſecta Religionis Chriſtianæ.

CAPUT III.

ASſero 3tiò. *Calvini doctrina, eſt Gradus ad Atheiſmum.*

PRæmitto, à Calvino doceri hæc; *imò* docet, *DEum eſſe Auctorem omnium ſcelerum.* Lib: 1mo Inſtitut: cap: 18. agens de inceſtu Abſalonis, de idololatria decem tribuum, de rabie Judæorum in Chriſtum, aliorumque peccatis gravioribus, ſubdit §. 3. *Et jam ſatis apertè oſtendi* (ne quidem ſubobſcurè, ſed manifeſtè demonſtrâſti, te impium eſſe Hæreſiarcham) *DEum vocari eorum omnium Auctorem.* Item Lib: 3tio Inſtit: cap: 24. §. 13. *Vocem ad eos* (id eſt, reprobos) *etiam aliquando Dominus dirigit, ſed ut magìs obſurdeſcant: lumen accendit, ſed ut reddantur magìs cæci: doctrinam profert, ſed quâ magìs obſtupeſcant: remedium adhibet, ſed ne ſanentur.* *Doctrina Calvini quæ?*

Et quidem eximius Theologus Leonardus Leſſius in Diſputatione de Antichriſti Præcurſoribus, & in Appendi-

ce Consultationis de Religione, sat evidenter ex libris Calvini demonstrat, quòd juxta Calvinum, DEus sit omnium scelerum magìs principalis Auctor, quàm sit ipsemet dæmon, vel homo peccans: Idque ideo; *1mò.* Quia DEus, juxta Calvinum, ex se, pro suo beneplacito decrevit, ut homo omnia illa scelera faceret. *2dò.* Quia non externo tantùm præceptô, aut consiliô inducit, sed etiam interiùs excitat, impellit in opus, & quidem ita impellit, ut non relinquat homini facultatem resistendi, verùm cogit, & necessitat, ideoq; aufert humani arbitrii libertatem. *3tiò.* Quia ille in omni opere habet se ut Auctor principalis, dæmon verò & homo impius, solùm ministri ac instrumenta, sicut securis in manu artificis: ut loquitur Calvinus. insuper dæmon non necessitat ad malum. Hanc impiam doctrinam hausit Calvinus ab Hulderico Zuinglio, qui Anno Domini 1525. (vel juxta alios, adhuc 1516.) novam hæresim incœpit, magnamq; postea Lutheranorum partem ad se traxit: hic enim Zuinglius libro de Providentia DEi, cap. 5. & 6. dicit: *Deus est Auctor ejus, quod nobis est injustitia, seu peccatum. Quando facimus adulterium, vel homicidium, DEi o-*

pus

pus est Motoris, Auctoris, atq; impulsoris; latro, DEo impulsore occidit, & sæpenumero cogitur ad peccandum. Vide plura in libro meo, cui titulus: Admiranda Zvinglii & Calvini, in Tractatu 1 cap: 3tio, & in Tractatu 3tio, cap: 2do. Imò hanc Calvini fuisse doctrinam, etiam ex Lutheranis demonstrant Schlusselburgius in sua Theologia Calvinistica, & Castalio in lib: de Prædest:

2dò docet Calvinus, quòd prædestinatio ad mortem æternam, facta sit solò DEi arbitriô. *Homines* (inquit ille, libro 3tio Instit: cap. 23. §. 2.) *nudô Dei arbitriô, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur.* Ibidem §. 4to. *Redeundum semper est ad solum Divinæ voluntatis arbitrium.* & §. 5. *Dico, esse à Domino creatos, quos in exitium ituros, sine dubitatione præsciebat, idq; ita factum, quia sic voluit:* & eodem libro 3tio Instit: cap: 23. ait: *Non dubitaverim dicere, Divinam Prædestinationem ac voluntatem, rerum necessitatem esse.*

3tiò docet, à DEo impossibilia præcipi. Nam lib. 2do Instit: cap: 7. inquit: *Sit extra controversiam impossibile esse in hac carne, legis implementum -- Quòd autem impossibilem legis observationem diximus, id est paucis verbis explicandum si-*

mul-

mul & confirmandum: ſolet enim vulgo, (imò unverſæ Eccleſiæ Orthodoxæ) *abſurdiſſima ſententia videri.* Non abſimilia habet in ſuo Antidoto Concilii Tridentini ad Seſſionem 6tam.

His præmiſſis.

Ex multiplici capite eſt Gradus ad Atheiſmum.

Aſſertio Probatur. Quia Doctrina Calvini, ſuperiùs annotata, ſaltem proximè diſponit ad Atheiſmum. Imò præſtat, DEum abſolutè negare, quàm talem ponere: talis enim potiùs Dæmon eſt. Et ideo cùm Anno 1582, Menſe Junio, (ut refert Joannes Duræus in Defenſione decimæ rationis Patris Campiani contra Vitakerum) quidam Natalis, ex Calviniano Atheus, Metis in Lotharingia, à Magiſtratu comprehenſus, juridicè interrogatus; qua tandem viâ, ad Atheiſmum perveniſſet? Reſpondit, quod res erat: Calvini Libris Inſtitutionum hoc ſe acceptum referre. In iis enim cùm legiſſet, peccatorum omnium DEum eſſe Auctorem, eoque fine, majorem hominum partem condidiſſe, ut æternis poſtea ſuppliciis afficeret, maluiſſe ſe, ajebat, nullum eſſe DEum, quàm talem credere. Hinc in illis locis, ubi viget Calviniſmus, viget & Atheiſmus, ut teſtatur Gregorius Toloſanus. Angliam & Scotiam non tam circumfusô Oceanô, quàm infusô per

Calvi-

Calvinismum Atheismô fluctuantem, describit Andreas Philopater Anglus: & Vigistus Anglus Calvinista conqueritur, Angliam Atheistis refertam. Ipsi Scotiæ Ministri, scriptô palam testati sunt in Præfatione Bibliorum, ex quo evangelium novum Calvinisticum audiri cæpit, innumeros, in Regno, Atheos esse cæpisse: ad quam rem significandam, novum illi nomen, Majoribus nostris (inquit Duræus natione Scotus in Defensione primæ rationis) inauditum, *Godles*, quod propriè, Atheum significaret, excogitârunt. Theodoro Bezæ, Calvinistarum antesignano, veteres quidam ejus collegæ, & condiscipuli exprobrabant. An mirum, (inquiunt) eum, à sacra exturbare Christum Eucharistia, qui DEum non credit esse in Cœlo: ut refert, pietate & doctrinâ celeberrimus Lindanus Episcopus in suo Dubitantio, Dialogo 2do. Certè Atheus & Calvinista quatenus asserens, DEum esse Auctorem peccati, non multùm inter se differunt, judiciô Divi Basilii Magni. *Stultus & verè à sensu alienus est* (inquit ille, Homilia, quòd DEus non sit Auctor malorum) *qui dixerit: non est DEus: similis item huic est, nec quidquam in stultitia differt, qui DEum, malorum causam esse, dicit: par*q; *prio-*

priori ſcelus exiſtimaverim: quoniam ambo, bonum DEum ſimiliter negant: alter quidem, non eſſe omnino dicit: alter verò non bonum eſſe affirmat: ſi enim eſt malorum cauſa, non bonus eſt, ſi non bonus, neq; DEus, itaq; utrobiq; eſt negatio DEi.

Confirmatur Aſſertio. Tum ex dicendis infrà, Capite 4to. Tum quia admiſſâ illa doctrinâ Calvini, exſtingvitur omnis pius affectus erga DEum. Quis enim Eum, pro DEo, id eſt, pro Ente ſummæ bonitatis reputet, qui eſt Auctor omnium ſcelerum? qui paucis exceptis, totum genus humanum ad inevitabile, interminabile exitium, creavit, ob id tantùm, quia ſic voluit? qui impoſſibilia præcepit, horrendiſque æternis cruciatibus plectit eos, quia non fecerunt, quod non erat in eorum poteſtate, ut facerent?

Calvinus Arianiſmi patronus.

Accedit. Quia ex doctrina Calvini, ſternitur via ut cum Judæis, Turcis, Arianis, Sabellianis, Ebionitis, negetur Myſterium SS. Trinitatis: in Epiſtola enim ſua 2da, ad Polonos, dicit: Chriſtum, ſecundùm Naturam, etiam Divinam, eſſe minorem Patre. plures item Scripturæ Sacræ textus, quibus comprobari ſolet illud Myſterium, ut Joannis 10. *Ego & Pater unum ſumus*, 1. Joannis.

nis 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* similesque textus alios, conatur ostendere esse invalidos. Nec est major ratio, cur verba adeo clara Christi Domini: *Hoc est Corpus meum*; debeant juxta Calvinum, accipi figuratè, & non debeant juxta Arium figuratè accipi verba Scripturæ, quibus probari solet SS. Trinitatis Mysterium; quod ipsum non diffitentur primarii defensores Lutheri: Andreas Smidelinus, libro contra Grinæum, ait: *Calvinismus, Arianismus, & Mahometismus, fratres sunt, & sorores tres: caligæ ejusdem panni: camarina, in quam multæ hæreses confluxerunt: ultima Satanæ ira.* Ægydius Hunnius, Anno 1598. edidit librum cum hoc titulo: Calvinus „judaizans; hoc est, judaicæ glossæ, & „corruptelæ, quibus Joannes Calvinus, „illustrissima Scripturæ Sacræ loca, & „testimonia, de gloriosa Trinitate, Deitate Christi, & Spiritus sancti, detestan„dum in modum corrumpere non exhorruit. In eodem libro, dicit: *A Calvino, acuto Diaboli instrumento, longissima & latissima via strata est ad Arianam Hæresim plenis cataractis atque imbribus, in Orbem terrarum effundendam, & ingurgi-*

gurgitandum. Cùm ergo doctrina Calvini ſit gradus ad negandum DEum Chriſtianorum (is enim unus eſt in Eſſentia, & trinus in Perſonis) ſitque gradus ad complectendum Judaiſmum, Mahometiſmum; Quidni ingenioſus Calvini aſſecla, cernens evidenter, ut facilè poteſt, ſectas illas eſſe erroneas, nolens verò redire ad fidem Catholicam, prolabatur in Atheiſmum? Id ipſum comprobat doctiſſimus Maldonatus, qui Lutetiam Pariſiorum miſſus, Anno 1563 Superſtite etiam tunc Calvino, (is enim obiit 1564, vigeſima ſeptima Maji, ætatis ſuæ 55.) ibi Philoſophiam primùm dein totis decem annis, Theologiam, cum ſumma laude, decurrentibus undique ad eum audiendum, etiam Abbatibus & Epiſcopis, docuit: hic igitur celebratiſſimus Theologus, in ſuis Commentariis, in quatuor Evangeliſtas, in Caput 26. Matthæi, habet hæc: *Experientiâ docti loquimur; multos jam Calviniſtas videmus, qui ingenioſiores, & magis increduli, id eſt, magis Calviniſtæ cæteris erant, eò jam perveniſſe, ut qua ratione, hoc priùs Myſterium non credebant, nunc Trinitatis Myſterium non credant: cæterosque Calviniſtas, ſicut Calviniſtæ, nos, tanquam nimis ſimplices & credulos rideant.*

deant. Omnes enim Ariani, quos multis hodie locis ſuccreſcere videmus, & qui Poloniam jam omnem repleverunt, (ex hac tamen, regnante Joanne Caſimiro, per publicum in Comitiis Regni Decretum Anno 1658 latum, ut intra triennium ex univerſo Regno excederent Ariani, eliminatus eſt Arianiſmus) *ex Calviniſtis nati ſunt: nonnulli progreſſi ſunt longiùs, ut nihil crederent, quorum unus* (dictus Godefridus à Valle, Lutetiæ Anno 1572. publicè exuſtus) *cùm libellum quendam his annis, de arte nihil credendi, compoſuiſſet, nihil in eo, niſi hoc unum verum dixit, oportere priùs Calviniſtam fieri, qui Atheus eſſe volet: fuerat ille antea Calviniſta, fuit poſtea Atheus, & unicuiq; in ſua arte credendum eſt, veriſſima ſententia: nam quiſquis Calviniſta eſt, ſi eâ, quam ingreſſus eſt, incredulitatis viâ ire pergat, ad nihil credendum perveniat, neceſſe eſt. Hæc à nobis non contumeliæ, ſed admonitionis causâ, dicta ſunt, ut ſi qui fortè ſunt eorum, qui non omnino obduruerunt, alienô admoniti periculô reſipiſcant, oſtenſôq; haud ita longè poſitô præcipitiô, pedem referant.* Hucuſq; Maldonatus.

CAPUT IV.

ASsero 4tò. *Lutheri doctrina, est Gradus ad Atheismum.*

Lutheri quænam doctrina?

PRæmitto imò. Inter alia erronea à Luthero doceri hæc: *1.* docet, aut saltem propendet in illam impiam Sententiam Zvinglii, & Calvini, quòd DEus sit omnium scelerum Auctor; in libro enim de servo arbitrio contra Erasmum, scribit. *Nulli in manu sua est cogitare quidquam mali, aut boni, sed DEus in nobis, omnia bona & mala operatur.* & in Assertione Articuli 36. idem dicit: Quod ipsum clariùs adhuc docuit primarius ejus discipulus, Melanthon, in Annotat: in Epist: ad Roman: cap. 8. *Nos* (inquit) *docemus, non solùm permittere DEum creaturis, ut operentur, sed ipsum omnia propriè agere: & sicut fatemur, proprium DEi opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur, opera DEi propria esse, Davidis adulterium, Manlii severitatem.* Porrò tanto in pretio à Luthero habitus fuit Melanthon, ut in Præfatione sua super illas ipsas Annotationes Melanthonicas, sic eum alloquatur, *Tuas Annotationes, nemo Commentarium, appellet, sed Indicem duntaxat legendæ Scripturæ, & cognoscendi Christi: id quod hacte-*

hactenus nullus præstitit commentariorum, qui saltem extet. Quin volumus Paulo, suam quoq; gloriam salvam, ne quando jactet aliquis, Philippum (Melanthonem) *esse Paulô superiorem, vel æqualem, sufficit, te proximum Paulo esse.*

2dò docet, à DEo, sine respectu aut prævisione peccati, damnari immeritos. Nam in illo libro contra Erasmum suprà citato, ait: *DEus, ut merita non respicit in salvandis, ita neq; in damnandis: illic indignos coronat, hic indignos punit, & immeritos damnat - - iram & severitatem spargit in immeritos.*

3tiò docet, impossibilem esse observantiam legis Divinæ. In Respon: ad Dialog: Sylvestri inquit: *Pessimè facis, quòd negas, Salvatorem impossibilia jussisse: plùs, quàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare; non possumus in hac vita; mandata DEi implere.* & in Confutatione rationis Latomianæ ait: *Tot scripturæ testimonia probant, mandatum esse impossibile nobis: ut nihil sit manifestiùs.*

4tò. Favet plurimum Arianis. Ex Capite enim 5to, 1mæ Epistolæ S. Joannis, expunxit (sicut idem olim fecêre Ariani, teste S. Hieronymo, Præfat: in Epist: Canonicas) verba hæc. *Tres sunt in Cælo, qui testimonium dant: Pater, Verbum,*

& Spiritus ſanctus , & hi Tres , unum ſunt. cùm tamen ea, in omnibus emendatioribus Bibliis exſtarent, citenturque à Sanctis Patribus, ut, Athanaſio, Auguſtino, Hieronymo, Cypriano, aliisque, nec non à Concilio Lateranenſi. Ex Capite 9no Iſaiæ, ubi dicitur de Chriſto: *Parvulus natus eſt nobis - vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, DEus, Fortis*, &c: vocem, *DEus*, omiſit. In Caput 1mum Geneſis, commentando, Verbum æternum, ſeu Filium DEi *Inſtrumentum* Patris nominat: id autem ipſum dixit Arius, ut teſtatur S. Athanaſius lib. 2. contra Arianos. Vocem illam ὁμοούσιον, id eſt *Conſubſtantialis*, ab omnibus Concilii Nicæni 318 Patribus, unanimi conſenſu receptam, approbatam, quam Præclariſſimi Eccleſiæ Doctores, Nazianzenus, Nyſſenus, Baſilius, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, aliique, ut ſacroſanctam venerati ſunt: Ariani verò execrati, vocem, inquam, illam, Apoſtata Lutherus odit: unde, odiô illo excæcatus, mendaciſſimè dicit, non fuiſſe receptum illud vocabulum à multis, iisque præclariſſimis, optaveritque Hieronymus illud aboleri. Eidem diſplicuit, nomen Trinitatis, ideoque precandi formulam hanc: *Sancta Trinitas unus DEus*

us, miserere nobis. ex Litaniis tam germanicis, quàm Latinis sustulit. Tomo primo Latin: Vitenbergico, in Disputatione de Mysterio SS. Trinitatis, Thesis 18, Lutheri est hæc: *Nihil mirum, si Arius, Judæus, Mahomet, & totus Mundus, negent Christum esse DEum.*

Præmitto 2dò, Propositiones Lutheri, esse has: *Ejus propositiones graviter erroneæ.*

In omni opere bono, justus peccat. Tomo 2do, in Assertione Articuli 31.

Omne opus justi, damnabile est, & peccatum mortale. Ibidem in Assertione Articuli 32.

Caveamus à peccato, sed maximè à bonis operibus, & legibus: ad satanam spectant Christiani cum bonis operibus. In Sermone de novo Testamento.

Non potest vitari præsumptio, nec adesse vera spes, nisi in omni opere timeatur judicium damnationis. Thesis octava, in Disputatione Theologica Heidelbergæ habita Anno 1518. Exstat Tom: 1. Lat: Viteb: folio 55.

Nullum opus est tam malum, quòd hominem possit condemnare, nisi solùm non credere. In sermone super Evang: Attendite à falsis Prophetis. Extat Tomo 1. novorum Operum.

Sufficit, quòd agnovimus Agnum, qui

tollit peccatum Mundi: ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies, millies, uno die fornicemur, aut occidamus. Tomo 1mo Epist: Lat. Epist: 238. ad Melanthon.

Summa summarum, non credere in Filium Unigenitum, & unicum & solum est peccatum in Mundo, propter quod Mundus judicetur. In Postilla domestica, Conc: 1. habita feriâ 2dâ Pentec.

Homo Christianus, etiam volens, non potest perdere salutem suam, quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere. Lib: de Captiv: Babyl.

Christiano, neque opera, neque lex necessaria est: Quia per fidem, liber est ab omni lege. Lib: de libertate Christiana.

Quantò sceleratior es, tantò vicinior gratiæ Divinæ es. Sermone de Piscatura Petri.

Certum est, remissa esse peccata, si credis remissa. Thesis 15, in Disp: pro Veritate inquirenda, Tomo 1.

Castè & integrè vivere, tam non est in manu nostra, quàm omnia reliqua DEI miracula, gratia, & opera. In epist: ad Volffgangum Reisenbusch, scripta Anno 1525.

Conjunctio viri cum fæmina, tam est quid necessarium, quàm ut masculus sum,

ma-

magisq; necessarium, quàm edere, bibere. In Sermone de Matrimonio, quem Vitebergæ habuit, Anno 1522.

Decem præcepta ad nos non pertinent, non enim nos, sed solùm Judæos, DEus ex Ægypto eduxit. In novo Testamento, Moyses non tenetur: si eum in uno Articulo observarem, debitor fierem universæ legis observandæ. Sermone de Moyse.

Liberum arbitrium est figmentum in rebus: seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua, quidquam cogitare mali aut boni: sed omnia, ut Vicleffi Articulus, Constantiæ damnatus, rectè docet; de necessitate absoluta eveniunt.-- Non est dubium, satanâ Magistrô, in Ecclesiam venisse hoc nomen, liberum arbitrium. In Assertione Articuli 36.

Præmitto 3tiò. Lutherus, regulam credendi, in privato spiritu fundat, contempta auctoritate Conciliorum, Patrum, & Antiquitatis: illius enim sunt Propositiones hæ. *Est Christianus. Ergo habet Spiritum Sanctum. Ergo & Judex omnium: Christianus est certus, quid credere debeat, & quid credere non debeat. Ergo est judex omnium.* in Libro de instituendis Ministris. Simile quid habet, in furiosissimo suo contra Regem Angliæ Libro.

Ejus regula fidei, qua?

Plures ejusmodi impiæ Lutheri crises depressivæ Auctoritatis Sanctorum Patrum, passim in ejus libris habentur, ut ex parte in particulari, annotavi in Tractatu 2do Admirandorum Lutheri, capite 2do.

His præmissis.

Assertio nostra, superiùs posita, scilicet: *Lutheri doctrina, est Gradus ad Atheismum.*

Lutheri doctrina pluribus titulis, est Gradus ad Atheismum

PRobatur multipliciter. *1mo.* Calvini doctrina, Capite superiori, proposita, est Gradus ad Atheismum: ut ibidem deductum est. Atqui Lutheri doctrina, non est ei absimilis: ut constat ex præmisso. Ergo est Gradus ad Atheismum.

2dò. Doctrina, quæ arcet homines à bonis operibus, aperit verò viam ad patranda gravissima scelera, præsertim ad effrenem libidinem, insuper impellit ad ingentem de se præsumptionem & arrogantiam, illa doctrina disponit ad Atheismum: ut evidens est legenti Caput 1mum, 2dum, 3tium, Tractatûs primi. Atqui doctrina Lutheri est ejusmodi: ut demonstrant ejus Propositiones, in Præmisso 2do, & 3tio, annotatæ. Ergo disponit ad Atheismum.

3tiò. Doctrina continens hæreses olim

ab

ab Ecclesia Catholica damnatas, sternit viam ad Atheismum. sed Lutheri doctrina est talis: Est enim cento hæresum, & aggregatum quoddam ex erroribus antiquis, pridem antè ab Ecclesia damnatis. Siquidem cum Simone Mago, docet Lutherus, hominem adultum sola Fide salvari, & non secundùm opera justa. Cum Eunomio & Aëtianis, Nulla peccata cuique obesse, modò fidem habeat. Cum Aërio & Aërianis, Orare vel offerre pro mortuis Oblationem, non oportere, nec statuta solenniter celebranda esse jejunia: & Presbyterum nihil differre ab Episcopo. Cum Manichæis, liberum aufert arbitrium. Cum Manichæo Fausto, calumniatur nos Catholicos, quòd Martyrum memorias honoremus, in hoc dicens nos idola convertisse. &c: Vide dicta in Admirandis Lutheri, in Tractatu 3. cap. 7mo. Et certè, si Arius fuit hæreticus (idem dic de Aërio, Aëtio, Eunomio, Manichæo, Macedonio, Pelagio, Donato & similibus) ut conceditur. Ergo etiam Lutherus, Zvinglius, Calvinus, verè fuit hæreticus. Hi enim eodem modo ab Ecclesia Romana, & Græca, Conciliisque damnati sunt hæreseos. Arius etiam dixit, Ecclesiam errare, plurimosque textus è Sriptura erronèe

neè adducebat ad comprobandos ſuos errores, ac Nicænum damnabat Concilium, ſicut moderni, Tridentinum.

Judicium Lutheri de Zvinglio & ſacramentariis, ac è converſo.

Audiatur, quid Lutherus ipſe ſentiat de Zvinglio, ejuſque ſequacibus Sacramentariis, & è converſo. In libro de Verbis Cænæ, Lutherus ait: *Moneo, ut non aliter caveant ſibi omnes à Zvinglio, quàm à Satanæ veneno. Sacramentarii, Zvingliani, ſunt verbi DEi corruptores, idololatræ, diabolicas cogitationes circumferentes, blaſphemi, deceptores. Maledicta ſit in omnem æternitatem cum illis charitas, & concordia -- illi, animas, venenô, à Chriſto abigunt, ſeducunt & mactant. Nec tam ad ipſos reſpicio, quàm ad eum, qui per eos loquitur, diabolum puto, quandoquidem & illi me cacodæmonibus plenum, judicant.* Et in Colloq. lib. de hæreticis, dicit: *Sacramentarii* (id eſt Zvinglianiſtæ & Calviniſtæ) *ſunt per diabolati, ſuperdiabolati, transdiabolati, hæretici.* Zvinglius è contra, Tomo 2. Epiſt: ad Esling. dicit: *Lutherus, eſt falſus Propheta, ſcurra, ſue fædior, peſſimus hæreticus, impoſtor, Marcione pejor.* Et in Reſponſione ad Lutheri Librum, de Sacramento, ait: *Lutherus, eſt incorrigibilis hæreticus, Antichriſtus, Chriſti negator.*

Et

Et verò, insignem hæreticum fuisse Lutherum, abundè comprobat, horrendè impia ejus Propositio, quæ habetur Tomo 1. Vittenberg: editionis, fol: 189. & 190. *Oportet* (inquit) *cor humanum, legem DEi, atq; adeò DEum ipsum, supra modum odisse.* *Impia Lutheri Propositio.*

Cornelius à Lapide, qui Sacram Lingvam, Lovanii, Divinasque Literas, plùs annis viginti publicè docuit, postea, easdem, Romæ, summa cum celebritate nominis, complures annos interpretatus est, editisque in totam fermè Scripturam Sacram, plurimis Sapientiâ & eruditione, plenis Voluminibus, de Ecclesia apprimè meritus, hic inquam Cornelius, in suo Commentario in Epist: ad Galatas, cap: 2. v. 19 citans illam Propositionem, meritò exclamat: *Audite hæc, qui à Luthero, ejusq; asseclis, miserè decepti estis, & exhorrescite vocem, non hominis, sed Satanæ, quid enim satanas, DEi & hominum juratus hostis, de DEo magis blasphemum, & horrendum dicere, ac hominibus in suam perniciem suggerere posset?* Nec absimilem illi impiæ Lutheri propositioni, citat Calvini ibidem Dialogismum: & in 2dam Epist: ad Timoth: cap. 3. v. 9. dicit: *Hæreses tandem evanescunt, aut abeunt in Atheismum*

ſmum, noſtro tempore ſenſim fieri videmus, & brevì magìs videbimus, Lutheraniſmum & Calviniſmum conſeneſcere, & emori apud multos; apud alios, in Atheiſmum abire, eorumq́ꝫ aſſeclas, fieri planè Politicos & Libertinos.

Judicia Variorum de Lutheri doctrina.

Confirmatur Aſſertio teſtimoniis variorum. Carolus 5tus in Edicto ſuo contra Lutherum, lato Vormatiæ, ex aſſenſu & conſilio Electorum, & Sacri Imperii Principum, Ordinum & Statuum, Anno 1521, dicit: (ut exſtat Tomo 2do Lat: Viteb:) *Conſtat, Lutherum, complurium hæreticorum extremè damnatas hæreſes, (quæ diu jam obſoleverant) in unam quaſi lernæam paludem, còégiſſe, multaſquè præterea recentes, atq́ꝫ novas excogitâſſe- ut pulcherrimam Eccleſiæ Hierarchiam, exſtingvat, evertat, diſſolvat, & obruat.*

Georgius, Dux Saxoniæ Catholicus, æternâ memoriâ digniſſimus Princeps, Friderici frater, in literis ſuis ad Lutherum datis, Anno 1526, quæ exſtant Tomo 3tio Jenenſi germanico. *Ex tua* (inquit) *& tuorum diſcipulorum doctrina, renovantur omnes antiquæ, & jam olim damnatæ hæreſes, omnis cultus Religioſus deſtruitur. &c.*

Cardinalis Hoſius, Epiſcopus Varmienſis,

enſis, acerrimus Orthodoxæ Fidei Propugnator, ſæpè (ut legitur in Vita ejus, Romæ, dein Olivæ impreſſa, lib: 2. cap: 21.) calamô & lingvâ ardenter inculcabat Senatoribus Regni Poloniæ, ac Prænobili Ordini Equeſtri, hæc: *Non aliud ſatanæ propoſitum fuit, dum Lutherum ab inferis ſuſcitavit, quàm ut per eum Fidem in DEum, ex animis mortalium exſtirparet: ſed noluit ſtatim cornua ſua prodere, ne homines, rei turpitudine, illicò ab eo abſterreret -- ſi non libet eſſe Catholicos Chriſtianos, palam omnes dicite: Non eſt DEus. Ita Lutheri Evangelium perficietis, & patri ejus Satanæ ſatisfacietis.* Idem pro Eccleſia DEi, rerum geſtarum gloriâ celeberrimus Cardinalis, Atheiſmum vocat Lutheranæ & Zuinglianæ perfidiæ perfectionem, centrum, ſcalæ ſummitatem: ut refert & approbat Cornelius à Lapide in Epiſt: 2. S. Petri c. 2. v. 10.

Eraſmus Roterodamus, Epiſt: in Pſeudo-Evang: & ad Fratres infer: German: ſcripſit. *Vereor, ne ſub iſto Lutherani Evangelii nomine, multi nobis oriantur pagani, quò magis etiam ſint liberi, ſi nec cælum credant eſſe, nec inferos, nec animas à morte corporis ſupereſſe: qui tales ſunt, ſub nulla umbra*

tuti-

tutiùs latere possunt, quàm sub istorum Evangelio.

Joannes Spangembergius, in libello „suo, cui titulus: Vera narratio benefici-„orum per D. Martinum Lutherum piæ „memoriæ, præsertim Germaniæ divini-„tùs præstitorum; edito, Anno 1561. in fine illius libelli, scripsit etiam hæc: „Posteaquam Antichristianismi, sive Pa-„patûs, horrenda mendacia, ac doli, de-„ceptionesque, manifestatæ sunt; incipi-„unt jam homines nihil ampliùs crede-„re. Et posteaquam à vinculis Papatûs „se liberos esse vident, volunt etiam esse „liberi & soluti ab Evangelio, & à Præ-„ceptis DEI, & volunt, ut deinceps re-„ctum sit & justum, quidquid unicuique „visum fuerit.

Quidnam Lutherus senserit de suo Carolstadio?

Nota, in catalogum nihil credenti-um, seu Atheorum, ab ipso Luthero, lib: contra Cælestes Prophetas, referri, Carolstadium: de quo scribit, quòd adeò fuit impius, ut non crediderit, vel in Cælis DEum existere. Porrò sciendum, quòd hic Carolstadius fuerit concors quondam cum Luthero anima, & præ-cipuus in fundando, promovendoque 5to Evangelio Lutheri, ac strenuus ad-jutor; ita enim hic ad eum scripsit: *Eruditissimo viro, & præstantissimo D. An-*

dreæ

dreæ Bodenſtein Carolſtadio, ſincerioris Theologiæ Aſſertori facilè primario, Præceptori ac Magiſtro ſuo, in Chriſto. Exſtat hæc Epiſtola Tomo 1. Lutheri Epiſtolarum Latinarum: Epiſt: 172. Fuerat ille prius, Archidiaconus Vitembergenſis, Sacræ Theologiæ Doctor, ipſumque Lutherum, Anno 1512. die Sanctæ Luciæ, creavit Doctorem: poſt, factus apoſtata, & ſacrilegas nuptias contraxit, de quibus in Epiſtola ſua ad Ambsdorffium ſcribit Lutherus: *Carolſtadii nuptiæ, mirè placent, novi puellam, confortet eum Dominus in bonum exemplum.*

Quæres *Quidnam hoc in paſſu ſentiendum de Janſeniſmo; nec non de ſecta Anabaptiſtarum ſeu Mennoniſtarum, & Quackerorum?*

Antequam reſpondeam.

Præmitto 1mò. Nomine Janſeniſmi, intelligo, Janſenii & Janſeniſtarum doctrinam illam, quæ adverſatur Veritati Catholicæ, id eſt, ei, quæ revelata eſt à DEO, & per Eccleſiam Chriſti veram, credenda proponitur.

Porrò Janſenii Propoſitiones ſpeciales quinq; ſunt hæ:

Jansenii Propositiones quinq;.

1. Aliqua DEI Præcepta, hominibus Justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur.

3. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coáctione.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana Voluntas resistere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum est, dicere, Christum, pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sangvinem fudisse.

Vergerii Jansenistæ Propositiones.

Insuper Joannes Vergerius, Bajonæ Urbis Canonicus, postea Abbas Sancyranus, Jansenii fidissimus Achates, Jansenisticæ Hæresis primarium columen, 2dus Jansenista-

nistarum Patriarcha: hic inquam Vergerius, in suis Vindiciis pag: 629. & 678. omnimodæ veritati consonas affirmat esse Propositiones has:

Clarissimum est, Episcopum peccatorem resurgere non posse per media statui propria, cùm hoc ipso, quod peccator est, statum amittat ex primævo jure, nec ampliùs in eo sit.

Quâlibet vinculi castitatis infractione, perimitur sacerdotium.

Ejusdem Vergerii Propositiones sunt istæ:

Tridentinum Concilium non fuit verum Concilium. Ejus definitioni non debet haberi fides; Multum immutavit doctrinam Ecclesiæ; Erravit, docendo, Attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ sufficere ad remissionem peccatorum.

Sacramentum Pœnitentiæ non delet peccata.

Confeßio venialium, non est Sacramentalis, potestq; fieri primùm occurrenti.

Absolutio, est tantùm Sententia

declarativa remißionis.

Ecclesia, non est Congregatio fidelium, composita ex Summo Pontifice, Prælatis, Parochis, Doctoribus, Religiosis & Populo.

Non in moribus tantùm, sed etiam in dogmatibus, Ecclesia est corrupta.

Plures Propositiones erroneas ejusdem: Vergerii, vide in Libro meo, cui titulus *Admiranda Jansenismi*, in Tractatu 2do, cap: 7mo, easque esse illius, juridicè testati sunt Parisiis Anno 1638 Episcopus Lingonensis, item D. Joannes de Jovaud, Abbas & Secretarius Sacri Ordinis Cisterciensis.

Anabaptistæ & Mennonistæ undenam dicti?

Præmitto 2dò. Anabaptistarum secta ab iterato Christi Baptismo, nomen invenit, quoniam à Catholicis vel à Lutheranis, Calvinistis, legitimè Baptisatos, rebaptisat: exorta est brevi post Lutheri & Zvinglii exortas hæreses: quidam Menno Simonis, Frisius, in Vittmarsum Pastor, seu Prædicans, fuit Dux præcipuus Anabaptistarum, qui ferè in innumeras factiones, seu sectas dividuntur: in ipsa Prussia, & præsertim circa Gedanum, sunt præcipuæ, sub nomine Menoni-

Mennonistarum secta circa Gedanum duplex.

nonistarum duæ sectæ, quarum una Germanicè Klarcken / id est, Claristæ, seu Clari, sese appellat; eò, quòd suam fidem velint præ cæteris claram, & puram haberi: altera vocatur Germanicè Bekümmerten, id est, solliciti, seu Contribulati: ab aliis solet à plaustro sordium, denominari Dreckwagen, eò quòd facilè alias sectas ad suam Communitatem admittat; hæ duæ classes Mennonistarum, etsi in omnibus articulis fidei suæ, ferè conveniant, tamen earum sequaces, ita inter se sunt animis divisi, ut Claristæ nunquam Matrimonia ineant cum Contribulatis, & è contra: nec una Communitas, seu Natio (ut se ipsi nominant) alterius conventicula adeat: quin si quispiam ex una in aliam transire velit, debet priùs rebaptisari. Errores eorum habes inferiùs.

Vladislai IV Decretum contra Mennonistas.

Vladislaus IV. Rex Poloniæ, Anno 1647. 10 Junii, contra Mennonistas Decretum edidit, in quo inter alia, sub pæna colli, confiscationis bonorum, & omnium ejus sectæ, ex Regno expulsionis, prohibet, nè quempiam ex Christi fidelibus Catholicis, & aliis Dissidentibus de Religione ad suam sectam pertrahere, numero suæ fidei adscribere, ad Professionemq; recipere audeant.

Quackeri, sic à tremore, nominati.

Præmitto 3tiò. Ex hæresi Mennonistarum prodiêre Quackeri, quod nomen derivatur à tremore; hi enim Sectarii, multa in suis conventiculis proferunt de extremò DEi judicio, indeque contremiscere solent, Anglicè autem quäcken/ significat tremorem: ipsi verò se appellare solent Puritanos: quorum sat multi sunt in Anglia & Hollandia; inde, etiam ad celebrem Gedanensem Urbem, quidam venêre Anno 1661 & sequenti, animo disseminandi erronea sua dogmata infrà annotata, iisque jam quosdam ex Lutheranis infecerant, verùm inquisitione facta, comprehensi, incarcerati, & postea in perpetuum, ex Urbe exesse, jussi.

Jansenistarum, Mennonistarũ, Quackerorum sectæ sunt Gradꝰ ad Atheismum.

Respondeo imò. *Jansenismus est Gradus ad Atheismum.*

Probatur. Quia admissis quinq; Propositionibus Jansenii, concidunt vitæ totius Christianæ præcipua fundamenta, videlicet, Spes & Amor: (ut rectè cum aliis annotavit Cardinalis Sfondrati) præcipuè enim amandi, sperandique ratio est, quia *DEus prior nos dilexit*: quia *Filium suum unigenitum tradidit*. Ast, non constat (ut vult Jansenius) quòd me quoq; dilexerit, & quòd pro me, Filium quoq; tradiderit, quòd pro

me

me Chriſtus ſangvinem fuderit; quomodo ergo ut Redemptorem amabo, quem ignoro an Redemptor meus ſit? quomodo in merita, mortemque ullius, ſperabo, quem neſcio, an mihi quoq; meritus ſit? Item, præcipientem ſub graviſſimis pænis impoſſibilia, quis diliget? Inſuper ſalutis propriæ, operumq; bonorum ſtudium, tollitur, ſiquidem juxta Janſenii Propoſitionem 2dam, 3tiam, 4tam, Nulla ad ſalutem, aut ad ullum bonum opus confertur gratia ſufficiens, niſi quæ ex ſuppoſitione antecedente infallibiliter neceſſitat ad effectum omnem, ad quem in his circumſtantiis tribuitur, Porrò, Amore DEi ſublato, fundamentis Chriſtianæ vitæ, bonorumque operum, ſubverſis, haud difficilis eſt deſcenſus in Voraginem Atheiſticam.

Accedit, Quòd Janſeniſmus ſit hæreſis: continet enim Propoſitiones quinq; ſuperiùs annotatas, quas Summi Pontifices, Innocentius X, Alexander VII, Clemens XI, declarârunt & definiverunt, eſſe hæreticas, eaſq; pro ejuſmodi habet Eccleſia Orthodoxa, Vergerii etiam Propoſitiones recenſitas, quis Catholicorum neget eſſe hæreticas?

Nota. Priora duo Vergerii dogmata

conveniunt cum illa Vicleffii & Huſſi, in Concilio Conſtantienſi, damnata Propoſitione. *Nullus eſt Prælatus, Nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

Mennoniſtarum erronea Dogmata recenſentur.

Reſpondeo 2dò. *Doctrina Mennoniſtarum & Quackerorum, eſt Gradus ad Atheiſmum.*

Ratio. Hæreſis diſponit, ſeu eſt Gradus ad Atheiſmum; ut conſtat ex dictis in hoc Tractatu, cap. 1mo. Mennoniſtarum verò doctrina, eſt hæreſis, imò complexum plurium hæreſum: docent enim (utí & olim Sabellius hæreſiarcha circa Annum Chriſti 260) in DEo non dari Perſonarum realium pluralitatem, ſed illa tria, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, pura eſſe ac nuda nomina unius Eſſentiæ Divinæ: nec dari in Chriſto Domino Perſonam Divinam, ſed ſolùm humanam: negant item Chriſtum Dominum, ex benedictæ Virginis MARIÆ carne & ſubſtantia, aſſumpſiſſe Carnem naturæ humanæ: Negant Baptiſmum, eſſe Sacramentum, & neceſſarium ad ſalutem, nec pro delendo Originali peccato inſtitutum, aſt tantùm pro actualibus: docent, nec licitè nec validè in infantia conferri Baptiſmum

ſmum, ut quidam antiquiores hæretici docuêre, teſte S. Bernardo, Serm: 66. in Cantica & Epiſt: 240. In Euchariſtia, realem negant Chriſti præſentiam, ſicut Calvinus. Cum nonnullis ex Arianis, ſentiunt: Nullum bellum ſive defenſivum, ſive offenſivum, nec ullum juramentum eſſe licitum: nec credunt, Animas ſeparatas à corpore, ſtatim poſt mortem judicari particulari judiciô, & recipere prout quiſque meruit, præmium vel pænam; ſed dicunt, eas exſpectare diem extremi judicii. Magiſtratum nullum habent proprium, ſubjiciuntur alieno: peccata dimittit Communitas, vel nomine illius, Exhortator ſeu Admonitor: neque enim Miniſtros aut Prædicantes vocant: incorrigibiles excommunicant. Symbolum Apoſtolorum non recitant, eò, quòd illud non legatur in Sancta Scriptura.

Nec non Quackerorum.

Quòd concernit Quackerorum ſectam, hæc adhuc magis erronea & pernicioſior eſt, non ſolùm enim Quackeri cum Mennoniſtis negant SS. Trinitatem Perſonarum in Divinitate, & in Chriſto Domino Perſonam Divinam: Baptiſmum item, & Cænam eſſe Sacramentum &c: verùm inſuper, nullum Baptiſmum aquæ

admittunt etiam in adultis, nec uſum Cænæ Domini: omnem poteſtatem, Dominium, jurisdictionem, puniendi delinquentes, tollunt, ajuntque, talia provenire à ſpiritu Cain trucidatoris, & contraria eſſe veritati: vanos denique & inanes habent habitus & conſvetudines, detectiones Capitis, & in ſalutationibus inflexiones, easque vocitant, ſtultas & ſuperſtitioſas formalitates. Cùm ergo ſectæ Mennoniſtarum, & Quackerorum ſeu Tremulantium, ſint diverſarum gravium hæreſum quædam Sentina, rectè infertur, eas eſſe Gradus ad Atheiſmum.

TRA-

TRACTATUS TERTIUS.

Quænam Opiniones erroneæ, ut distinctæ ab Hæresi, sunt Gradus ad Atheismum?

CAPUT I.

ASsero imò. *Doctrina Cartesii, ejusque Assectarum, est Gradus, seu disponit ad Atheismum*

PRæmitto. Renatus des Cartes, alias Cartesius, natus Hagæ Turonum, Anno 1596, Religione, ut se ipse ubiquè profitetur, Catholicus; à vita militari, nullis artibus, nisi Mathematicis eruditus, ad literas altiores accessit, ingenio majori præditus, quàm judiciô: in Dialectica, parùm; in Theologia, minùs versatus: novitatis studiosior, quàm veri-

Cartesius quisnam fuerit?

veritatis: intentus potiùs, ut magnam famam, quàm ut bonam haberet: plurimi se ipse faciebat; magnam præseferebat modestiæ speciem: ac tum præcipuè erumpebant innatæ superbiæ igniculi, si quando nobiles aliquos nactus erat Adversarios, non satis item constanter sua, vel proferebat, vel probabat. Hæc de Cartesio sentiunt, viri limatissimi judicii inter alios Petrus Huetius, Episcopus Suessionensis, in sua Censura Philosophiæ Cartesianæ. P. Thomas Comptonus in sua Physica, Disputat: 12. P. Joannes de Benedictis in sua Philosophia.

Ejus doctrina disponit, ut negetur, vel saltem in dubium vocetur Existentia Dei.

Probatur nostra Assertio multiplici ratione. *Imò.* Philosophiæ totius Cartesianæ fundamentum, in dubitatione consistit. Cartesius enim in suis Meditationibus de prima Philosophia, jubet nos dubitare de rebus in omnibus, dicitque non esse omnino certum, an mundus iste aspectabilis, revera existat, ut extare videtur: an sit terra? Cælum? an aliqua res extensa? aliqua figura, magnitudo, locus? Docet item non esse omnino certa, illa Principia: *Totum est majus sua parte. Quæ uni alicui sunt æqualia, illa inter se sunt æqualia;* & similia, lumine ipso naturæ nota principia. Ergo quidni ex talibus præmissis rectè inferatur:

tur: Nec esse omnino certum, an existat DEus? Posseq;, imo debere, dubitari de ejus existentia?

2dò. Cartesius docet, DEum efficere posse, ut bis bina, non sint quatuor: resque eadem simul sit, & non sit: & repugnantia effata simul vera esse possint. Proinde consequenter bene infertur. Posse etiam simul vera esse ista effata. DEus est, & DEus non est. Efficereque posse DEum, ut ipse DEus simul sit, & non sit.

3tio. Cartesius in illis suis meditationibus flocci facit, quin contemnit argumenta, quæ communiter afferri solent à Summis Philosophis & Theologis ad probandam Existentiam DEi, suaq; tantummodo pro demonstrationibus certissimis ac evidentissimis, certioribus etiam, quàm sint geometricæ, haberi vult, cùm tamen quædam omnino sint erronea, alia non excedant probabilitatem: ut ostendi in Volumine meo, cui Titulus: *Eversio Atheismi*: in libri 2di Tract: 1. cap: 6to. Unde periculum est, ne hujus Novitiæ Philosophiæ Cartesianæ sequaces, repudiatis jam antè cum Cartesio, argumentis consensu doctissimorum receptis, & approbatis; horum verò Cartesianorum, successu temporis comperta

perta incertitudine, & falsitate, ne inquam, in dubium vocent Existentiam DEI.

Nec nõ immortalitas & immaterialitas animæ humanæ.

Confirmatur Assertio imò. Cartesii doctrina, viam aperit ad negandam immortalitatem Animæ humanæ. Ergo & ad Existentiam DEI. Consequentiæ bonitas constat ex dictis cap: 5to. in Tract: 2do. Antecedens probatur. Quia Cartesius docet, aliunde non posse naturali ratione evinci Animæ immortalitatem, nisi ex eo, quòd bruta omnia, nullum sensum, nullamque omnino cognitionem habeant, sed sint mera Automata, Anima verò humana, sola sit cognoscitiva: siquidem omnis Anima cognoscitiva, est spiritualis & immortalis. Porrò ratio allata, & fundamentum probandi Animam esse immortalem, planè nullius momenti est; imò & graviter erroneum, ut patet. Tum ex communissima persvasione omnium hominum, quotquot unquam fuerunt & sunt, (si Cartesianos excipias) pro sensu & cognitione brutorum. Tum quia gemitus brutorum, dum verberantur, aut naturaliter patiuntur, clarè insonat, doloris sensum iis inesse. Fugit item canis, conspectô à longè baculô, cibô allicitur, voce, plausu, incitatur ad varias actiones. Quis machinam aliquam sensu destitutam,

Falsum est, bruta carere omni sensu.

tam, verbi gratia; horologium, dirigit exhibitione cibi, voce, plauſu? Tum quia (utor verbis S. Auguſtini lib. 1. de muſica) *Puto, te negare non poſſe, beſtias habere memoriam; nam & nidos, poſt annum reviſunt hirundines: & de capellis, veriſſimè dictum eſt; Atq; ipſæ memores redeunt in tecta capellæ. Et canis, Dominum, jam ſuis hominibus oblitum recognoviſſe prædicatur: & innumerabilia, ſi velimus, advertere poſſimus, quibus id, quod dico, manifeſtum eſt.* Demum, ſi non ſentiunt bruta, ad quid iis inſunt Organa ſenſuum, oculi, aures, nares, cerebrum, æque ac in hominibus diſpoſita? Neq; dicas: Talpa ſecundùm totam ſpeciem viſu caret, & tamen oculos habet. Reſpondet enim Simplicius, gentilis Philoſophus, quòd viſum habeat ſubobſcurum: utpote habens oculos ſub pelle contectos. Albertus Magnus dicit; talpam, ſolùm loca oculorum habere, non oculos. Galenus negat, talpam habere in oculis omnes tunicas, cùm non habeat araneam in qua fit viſio.

Accedit, Quòd Cartheſius inde unicè probet, cenſeatque probandum, Animam humanam eſſe realiter diſtinctam à corpore, & immaterialem, quòd alia rei cogitantis ſit, alia corporis idea: un-

de

de infert, Animam, rem cogitantem non esse corpus: hancq; probationem, Cartesii pedissequi, demonstrationem esse volunt. Verùm ab innumeris solidè doctis Philosophis ac Theologis meritò reprobatur. Ad probandam enim rerum distinctionem realem, non valet distinctio rationum & idearum: Aliàs animal in homine distingveretur realiter à rationali: & Attributa Divina inter se realiter. Cùm ergo fundamentum, cui soli, juxta Cartesium, innititur, probatio immortalitatis animæ, ejusque immaterialitatis, nullatenus subsistat; hinc infertur, per Cartesii doctrinam viam aperiri ad negandam animæ spiritualitatem, & immortalitatem.

Confirmatur 2dò nostra Assertio per Cartesii, & Cartesianorum quasdam Propositiones, quarum Elenchum, hîc appono.

Plurimùm erroneæ Propositiones Cartesianæ.

I. *In Ethicis pium est dicere, omnia à DEO propter nos facta fuisse, quanquam sit in Physicis ridiculum.*

II. *Tam validis argumentis possunt Fidei Christianæ Dogmata oppugnari, ut salva ratione solvi non possint.*

III. *Libri Sacræ Scripturæ, non hujus temporis Theologis, sed Judæis fuerunt scripti.*

IV. *Quidquid de inferorum suppliciis, ignibus, tenebris, Christus disseruit, tantummodo fuêre sermonis figuræ, ad incutiendum horrorem compositæ.*

V. *Temerarij sunt, qui scire volunt, possitne DEus, rem quampiam in nihilum redigere: Simplices, qui ad DEi providentiam & gratiam, res naturales referunt.*

VI. *Præjudicium erroneum est credere, infantes, Matris uterô inclusos nihil cogitare.*

VII. *In Sacramento Eucharistiæ, nulla sunt Accidentia realia.*

VIII. *Accidentia Eucharistica, sunt meræ rerum apparentiæ, DEO, oculis, & aliis sensibus illudente, ad occultandum mysterium.*

IX. *Rectè explicatur Transubstantiatio, & reliqua ad Sacramentum pertinentia, sine ullis Accidentibus, aut qualitatibus absolutis.*

de infert, Animam, rem cogitantem non esse corpus: hancq; probationem, Cartesii pedissequi, demonstrationem esse volunt. Verùm ab innumeris solidè doctis Philosophis ac Theologis meritò reprobatur. Ad probandam enim rerum distinctionem realem, non valet distinctio rationum & idearum: Aliàs animal in homine distingveretur realiter à rationali: & Attributa Divina inter se realiter. Cùm ergo fundamentum, cui soli, juxta Cartesium, innititur, probatio immortalitatis animæ, ejusque immaterialitatis, nullatenus subsistat; hinc infertur, per Cartesii doctrinam viam aperiri ad negandam animæ spiritualitatem, & immortalitatem.

Confirmatur 2dò nostra Assertio per Cartesii, & Cartesianorum quasdam Propositiones, quarum Elenchum, hîc appono.

Plurimùm erroneæ Propositiones Cartesianæ.

I. *In Ethicis pium est dicere, omnia à DEO propter nos facta fuisse, quanquam sit in Physicis ridiculum.*

II. *Tam validis argumentis possunt Fidei Christianæ Dogmata oppugnari, ut salva ratione solvi non possint.*

III.

III. *Libri Sacræ Scripturæ, non hujus temporis Theologis, sed Judæis fuerunt scripti.*

IV. *Quidquid de inferorum suppliciis, ignibus, tenebris, Christus disseruit, tantummodo fuêre sermonis figuræ, ad incutiendum horrorem compositæ.*

V. *Temerarij sunt, qui scire volunt, poßitne DEus, rem quampiam in nihilum redigere: Simplices, qui ad DEi providentiam & gratiam, res naturales referunt.*

VI. *Præjudicium erroneum est credere, infantes, Matris uterô inclusos nihil cogitare.*

VII. *In Sacramento Eucharistiæ, nulla sunt Accidentia realia.*

VIII. *Accidentia Eucharistica, sunt meræ rerum apparentiæ, DEO, oculis, & aliis sensibus illudente, ad occultandum mysterium.*

IX. *Rectè explicatur Transubstantiatio, & reliqua ad Sacramentum pertinentia, sine ullis Accidentibus, aut qualitatibus absolutis.*

X. *Nulla ſubſtantia, neq; ſpiritualis, neq; corporea, poteſt vel ab ipſo DEo ad nihilum redigi.*

XI. *Penetratio corporum propriè dicta, & locus omni corpore vacuus, involvit contradictionem.*

XII. *Ubicunq; imaginari poſſumus, extenſionem eſſe localem v. g. ſupra cœlum, ibi reipſa ſpatium exiſtit, plenum corpore, ſeu materiâ.*

XIII. *Mundi extenſio indefinita eſt in ſeipſa.*

XIV. *Mundus exiſtere non poteſt, niſi unicus.*

XV. *Belluæ ſunt vera Automata, omni ſenſu & cogitatione carentia.*

XVI. *Nullæ ſunt formæ ſubſtantiales corporeæ, à materia diſtinctæ.*

XVII. *Non niſi per fidem divinam, certò cognoſcere quiſquam poteſt, quòd aliqua exiſtant corpora.*

XVIII. *Mens humana de omnibus dubitare poteſt, ac debet, præterquam quòd cogitet, adeoq; exiſtat.*

Hæ Propoſitiones, non tantùm communi ſenſui Fidelium, omniumque Philoſo-

losophorum, ac Theologorum classicorum judicio repugnant; sed etiam multæ earum, ad impietatem sensim animos inclinare nituntur: aliæ sapiunt hæresim: quædam de hæresi sunt suspectæ: ut haud difficulter, Orthodoxus in scientiis altioribus versatus, advertere potest. Stat proinde Assertio nostra sufficienter probata, nempe: Doctrina Cartesii, ejusque sequacium, est Gradus ad Atheismum.

Quid sentiendum de Cartesii Principio hoc? Ego cogito. Ergo sum.

Adverte. Minùs consequenter à Cartesio doceri: Primum & inconcussum omnis Veritatis initium, esse hoc: *Ego cogito. Ergo sum.* Cùm enim juxta ipsius doctrinam, suprà insinuatam, Principia lumine naturæ nota sint incerta: de rebusque omnibus dubitari debeat: ne non à DEO effici possint, ut res eadem, simul sit & non sit. Cur insistendo huic doctrinæ, DEus etiam efficere non possit, ut qui cogitat, sit simul & non sit? cur dubitari non debeat, an Ly *Ego* detur. nam *Ego* idem est, quod Res aliqua, quæ est: & qui dubitat, an sit: dubitare quoque potest, an cogitet. Cur juxta Cartesium, est omnimodè certum: Eum, qui cogitat esse? siquidem Cartesius dicit, non esse certa, illa Principia: *Quodlibet est, vel non est. Impossibile est idem esse, & non esse. Totum est majus sua parte?*

Ex dictis, sufficienter etiam constat: meritò ab Ecclesia proscriptos esse libros Cartesii, quousque corrigantur: nec non adversus eum, latam à Sorbonicis Doctoribus censuram, edictumque à Senatu Parisiensi, ne quis doctrinam Cartesii audeat inposterum profiteri. Constat item, Cartesium non esse Philosophiæ sanæ & reformatæ Antistitem, ut censet Dolæus cum quibusdam Cartesianis, sed potius Philosophiæ insanæ & deformatæ Coriphæum, ut sentiunt plerique Primæ Magnitudinis Theologi, & Philosophi.

CAPUT II.

Assero 2dò, *Ad Atheismum Gradus est sententia eorum, qui docent, à veritate non deflectere Propositiones has:*

1. *Nihil cadit sub humanam scientiam: adeoque de nulla re potest homo ferre judicium certum.*

2. *Nulli objecto præbendus est assensus.*

3. Principia hæc: *Quodlibet est vel non est.* item *impoßibile est, idem simul esse & non esse* sunt principia falsa.

4. *Po-*

4. *Potest creatura aliqua, seipsam, prima vice producere.*

5. *Potest creatura aliqua esse causa suæ causæ in prima sui productione in genere causæ efficientis.*

Præmitto, duas priores Propositiones, admissas esse ut veras, ab Academicis, ut constat ex Divo Augustino, lib. 3tio contra Academicos, cap: 10. *Duo sunt* (inquit) *quæ ab Academicis dicuntur: contra quæ, ut valemus, venire constituimus. Nihil posse percipi. &: Nulli rei debere assentiri.* Simile quid docuerunt Sceptici, & Pyrrhonii, hi enim utrique; de rebus omnibus ambigi tantùm posse censebant, erantque semper dubii. Epicurus item teste Tullio lib. 1. de Natura Deorum, nec non Heraclitus, & Protagoras (qui primus, esse DEum, in dubium vocavit) negârunt illa Principia. Impossibile est idem simul esse & non esse. Quodlibet est vel non est. Propositionem quartam & quintam tuentur quidam è grege Atheorum, & aliqui è numero illorum, qui ad opinandum quodlibet nimiùm sunt audaces, ac in oppugnanda veritate arguti, disertique videri volunt.

Quinam illas Propositiones quinque sen-serunt non esse erroneas?

Probatur Aſſertio quò ad priores tres Propoſitiones.

Etiam ideo multùm erroneæ ſunt, quòd ex illis, facilis deſcenſus ſit ad Atheiſmum.

Tum, quia illis admiſſis, ſequitur, nec de Exiſtentia DEi, poſſe haberi certum judicium: nec præbendum eſſe aſſenſum, quòd exiſtat DEus. Certa item & evidens notitia DEi exiſtentis, habetur per naturalem rationem ex diſcurſu fundato in illis Principiis. Ergo ſi de ipſis Principiis dubitari poteſt, cùr non & de Exiſtentia DEi? Tum quia dictæ Propoſitiones, ſunt multùm cæcutientes, & omnium evertunt fundamenta ſcientiarum, ipſumque communem ſenſum, adeoque & ſenſum communem hominum de Exiſtentia DEi. Ob ſimiles rationes videtur etiam reprobanda Propoſitio hæc; *Principium iſtud, implicat idem eſſe & non eſſe: poteſt habere, formidinem moralem, quia poteſt eſſe actus dubitans, ortus ex hoc motivo morali; quòd aliqui viri docti & prudentes, negent hoc dictum, eſſe verum principium: vel ex hoc motivo; quòd plerạq; deprehendimus eſſe falſa, quæ putabamus eſſe vera Principia.*

Accedit, quia aliàs, Propoſitione hac ut vera, admiſſâ, poſſet etiam prudenter dubitari, utrum, aliquando vera miracula patrata fuerint, & veræ Prophetiæ exſtiterint, ſitque aliqua vera Sacra Scri-

ptura:

ptura: imò utrum DEus sit: Athei siquidem, qui suo judiciô multorumq; sui Assecharum, videntur docti viri & prudentes, negant illa omnia, sintque aliàs extra Scripturam seu in Historiis naturalibus deprehensa multa esse falsa, quæ putabantur esse vera.

Quò ad 4tam & 5tam Propositionem, Assertio probatur.

Quia illæ duæ Propositiones, convellunt omnium sanctorum Patrum, Theologorum, & Philosophorum classicorum Argumenta, quibus probatur Existentia DEi, communiter enim fundantur in Principiis his: *Nihil potest se ipsum producere quò ad primò esse. Nihil potest esse causa efficiens suæ causæ in prima sui productione.* Nec non ab omnibus supponuntur esse omnimodè certa. Unde S. Augustinus lib. de immort: Animæ, cap: 8. *Sit nostræ ratiocinationis exordium, quòd nulla se res facit, aut gignit, alioquin erat, antequam esset.* Divus Anselmus, Monologii cap. 28. *Nihil per se ipsum fieri potest, quia quidquid fit, posterius est eô, per quod fit, & nihil est posterius se ipso.* Similia habent S. Bernardus lib. 5. de Consid: cap. 6. S. Thomas 1. p. q. 2. art: 3. Et omnes Sancti Patres, ac Theologi, ex eo inferunt, Patrem æternum distin-

diſtingvi realiter à Filio, quia Paterproducit Filium. Veritatem dictorum Principiorum, ſat fusè demonſtravi in Volumine, cui titulus: *Everſio Atheiſmi.* Lib. 1. Tract. 2. cap. 7. Accedit, quia Propoſitio hæc. *Nihil poteſt ſe producere quò ad primò eſſe.* non minùs videtur eſſe evidens, quàm alia Principia, lumine naturæ nota: unde ſicut hæc negare, eſt gradus ad Atheiſmum, ſic & illa. Meritò proinde, omnes ſupradictæ Propoſitiones quinque, prohibitæ ſunt doceri vel defendi in Scholis noſtris.

CAPUT III.

ASſero 3tiò. *Gradus ſunt, id eſt, diſponunt ad Atheiſmum, ſententiæ, quas refero.*

1ma. *Licitè permittitur, ut quilibet credat pro ſuo placito, tranſeatq; ab una ſecta ad aliam.*

2da, docens Veritati conformes eſſe Propoſitiones has: 1. *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere Actum Fidei, ſpei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.*

2da. *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili.*

3tia. *Satis est, actum Fidei semel in vita elicere.*

4ta. *Finem ultimum* (scilicet DEum) *non tenetur homo amare, neq; in principio, neq; in decursu vitæ suæ mortalis.*

5ta demum Sententia negans, posse etiam moraliter evidenter demonstrari Existentiam DEi.

Probatur Assertio quò ad primam partem.

Quia ejusmodi Sententia Indispensabiliter connexa est cum Machiavellismo, vel cum illa opinione, quæ adstruit, posse quemlibet in sua secta salvari. Machiavellismus verò ac indifferentismus ille, gradus est ad Atheismum: ut suprà deductum. Quin illa sententia, videtur fundari in Atheismo, taliterque sentientes, non posse esse, nisi Atheos. Rationem hujus ipsius administrat Magnus Poloniæ Apostolus, & Regum Poloniæ, annis ultra 26, Apostolicus Concionator, Petrus Skarga S. J. *Qui* (inquit ille in Conc: Dominica 5ta post Pascha) *permittit, DEum*

Sententias omnes prædictas esse Gradum ad Atheismum evincitur.

Notabilis adversio V. Patris

Skarga, & Theodori Bezæ.

um suum, blasphemare, ipse nullum DEum agnoscit, quem diligat: siquidem unum saltem DEum suum, & Ecclesiam ejus defenderet; inimicos verò voluntariè non admitteret, nec legem illis ad blasphemandum DEum suum, statueret. Audiatur quid hac de re sentiat ipse Calvinistarum Coryphæus, ac veluti Papa post Calvinum, Theodorus Beza, in Epist: 1. inquiens: *Admittere libertatem conscientiarum, atq; sinere, ut quilibet pereat, si velit, hæc est doctrina Satanæ, hæc est dæmonis libertas.* Lege plura hac de re locô citatô apud Petrum Skarga, & apud Cardinalem Hosium in Judicio de adoranda Trinitate.

2da pars Assertionis probatur. Quia Prima & quarta Propositio, disponit hominem, satis ex natura sua corrupta proclivem ad peccandum, disponit inquam, ut simpliciter nunquam eliciat actum Fidei, Spei, & Charitatis: multò minùs eliciat actus aliarum virtutum, consequenter disponit, ut nunquam seriò cogitet de DEo; ast totus immergatur carni ac sangvini. Talem verò, à limitibus Atheismi multùm distare, quis censeat? similis ferè Ratio militat contra 3tiam Propositionem. 2da Propositio supponit dari Rationes saltem aliquomodo

verè,

verè, licèt minùs probabiles pro infidelitate, adeoq; supponit non esse evidens etiam moraliter, Religionem Christianam & Catholicam, esse à DEo revelatam: adeoq; non evidens, ullam esse Religionem in Mundo. Per talem verò suppositionem, saltem proximè acceditur ad voraginem Atheisticam: ut per se patet. Disponit item eadem Propositio, ut dicatur, illam, de non Existentia DEi opinionem, esse saltem aliquomodo probabilem extrinsecè: eò, quòd forsan non pauci etiam ex ingeniosioribus & literatis, eam teneant ut non certò falsam. Meritò proinde, omnes illæ quatuor Propositiones, sub gravibus censuris prohibitæ sunt à Summis Pontificibus. Prima quidem ab Alexaudro VII. Anno 1665. 24. 7bris. Secunda & tertia, ab Innocentio XI, Anno 1679, 2da Martii. Quarta, ab Alexandro VIII, Anno 1690, 24. Augusti. Tandem

Veritas tertiæ Partis Assertionis nostræ, constat: Tum ex eo, quòd prædicta sententia (ut etiam notârunt alii cum P. Aylevortho) pandit januam ad omnem prorsus impietatem, hominibus suapte natura propensis ad illicita, & ad liberrimè agendum sine dependentia ab alio,

alio, ac ſubjectione ſui: unde niſi evidenti aliqua ratione demonſtretur DEus, quem metuant, utpote ſcelerum vindicem; difficilè ab impietate còërceri poterunt. Tum quia illa opinio, erroris arguit omnes Sanctos Patres, Theologos, ac Philoſophos ſummos, qui cenſuerunt Argumenta à ſe allata ad improbandum Atheiſmum, eſſe demonſtrativa: necnon ulteriùs, via aperitur ſubvertendi Argumentum deſumptum ex Conſenſu omnium Gentium & Sapientum, quô etiam comprobari ſolet DEI Exiſtentia. Tum quia illa Sententia, eſt præcipuum, inter alia, fundamentum impietatis Atheiſticæ: ut videre eſt in Volumine meo, cui titulus: *Everſio Atheiſmi*, in Lib: 1. Tract: 1. cap: 6. pag: 17. & pag: 35. & ſequ: cum ſolutione Objectionum in contra.

Hucuſque exitioſos recenſui Gradus, per quos in Voraginem deſcenditur Atheiſticam. Utinam Amice Lector, ſaltem ante terminum vitæ tuæ, in nullo te ex recenſitis, conſtitutum deprehendat is, qui conſiderat & dinumeravit omnes greſſus noſtros DEUS Optimus Maximus. *Cui Honor & Imperium ſempiternum. Amen.*

Job 34. & 14.
1. ad Timot. 6. v. 16.

IN-

Index Rerum
NOTABILIUM,
Quæ in hoc libro continentur.

A.

B.

C.

vel

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

Z.

BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE

1717.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0023572